UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Deo Et Dei Cvltv

Chamier, Daniel

Frankfurt, 1627

Liber octavus, De uno mediatore

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-914

Visual Library

LIBER OCTAVVS,

DE VNO MEDIATORE.

Caput I.

STATVS CONTROVERSIÆ, DE INTERCESSIONE SANCTORVM.

SVPEREST in officio Christi, tertia quæstio, Vtrum Christus solus sit Mediator: Catholicis affirmantibus, Papistis negantibus. Sed huius Controuersiæ duo fiunt capita; quorum alterum ad eam mediationis partem pertinet, quæ Sacrificatoris est, qui deferat fidelium preces ad Deum, pro iis intercedat, vt exaudiantur. Alterum ad regiam dignitatem. Cuius iure Christus caput Ecclesiæ dicitur.

II. Christus ex mediationis iure, modo μεσίτης, hoc est, Mediator & Intercessor, modo παράκλητος, id est, Aduocatus, solet nominari. Μεσίτης quidem eam ob causam, quæ est iam prolixe explicata: scilicet, quia medium tenens inter Patrem & homines, qua Deus & homo hos illi conciliauit, παράκλητος vero, quia pro nobis Patrem interpellet, & quasi sollicitet, παράκλητον τὸν ὑπὲρ ἡμῶν φησὶ τὸν πατέρα παρακαλοῦντα, ἤτοι προτρεπόμενον, inquit, Oecumenius in priorem Ioannis. Quod ad mediatoris officium pertinere idem docet, ἐπιστρέφοντες γὰρ τυγχάνομεν πάλιν τῆς σωτηρίας, διὰ τῆς τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μεσιτείας, αὐτὸς γὰρ τῷ πατρὶ περὶ ἡμῶν ἐντυγχάνων ἱλάσκεται περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Conuersi enim etiam rursus salutem assequimur per Domini Iesu Christi mediationem. Ipse enim Patri pro nobis supplicans placabit eum peccatis nostris.

III. Vtrumq; hunc titulum Papistæ noluerunt soli Christo proprium permittere: sed aliis quo iure, quæ veniunt a communicatum. Posseuinus contra Chytræum impostura 7. *Quoniam intercessor est Christus, reliquos non abnuit, quibus adeo intercedendi vim, & facultatem præstat.* Et paulo ante, *Non est scriptum Christum sic esse solum Aduocatum, vt aliis prorsus hoc munus fuerit ademptum.* Sic Porsanus contra Falguerollium negat conceptis verbis Christum absolute solum esse Aduocatum nostrum. Costerus in Enchiridii cap. 12. negat incommodum esse, si plures sint mediatores, sicut plures sunt Patres, & plures magistri. Cochlæus in discussione articuli vigesimi primi confessionis Augustanæ, *Christus sic est Mediator & Pontifex, vt non excludat pios, & in se credentes alios mediatores & Pontifices.* Vnde ista in Missali in festo Sancti Ambrosii, *Deus, qui populo tuo æternæ salutis Beatum Ambrosium ministrum tribuisti: præsta, quæsumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis.* Et in festo S. Andreæ, *Maiestatem tuam Domine suppliciter exoramus, vt sicut Ecclesiæ tuæ B. Andreas Apostolus extitit prædicator, & rector: Ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor.* Et ne omnia colligam. In festo omnium Sanctorum, *Quæsumus, vt desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris.* Quæ verba, si non continent triumphum de Christo in ordinem redacto, quid significent, non video. Sane vero videntur ἀντίθεσιν continere, quasi dicerent, antehac vnum apud te habuimus intercessorem, videlicet Christum: & tamen per eum nobis gratiam pollicebare: ô Deus: at nunc cum multiplicati sunt intercessores, non gratiam tantum, sed etiam abundantiam gratiæ obtinere debemus meritò. Deus bone! an quod se impietatis barathrum induit humana temeritas!

IV. Itaque miror quid in mentem venerit Alphonso Vernesio Philippica 16 & Bellarmino de Pontifice libro 3. c. 21. vt negarent Papistas colere Sanctos, vt mediatores, sed vt suas preces nostris adiungant. Næ illi fuere, aut non satis Papistice docti: aut frontis minus duræ, qui aut ignorauerint quod alij docent, aut non satis habuerint audaciæ, vt id ipsum defenderent. Verumenimuero rem totam diligentius exploremus. Nam propositionis duritiem, quia satis vident aures Christianas ferre non posse, variis medicamentis mollire conantur; quæ suis locis non sumus omissuri. Nunc autem in Christo Mediatore, duo considerantur, primo, satisfactio pro peccatis; secundo, interpellatio apud Deum. illa intelligitur, vt ex vi meritorum Christi peccata dimittantur: quemadmodum Paulus dicit mortuum esse pro peccatis nostris; imo factum esse peccatum, id est, hostiam pro peccato. Hæc vero significat, perpetuo se Christum coram Patre sistere; eumque pro nobis orare, atque adeo ei preces nostras offerre, efficereque, vt sint gratæ. Quæ ἀνθρωποπαθῶς quidem dicuntur: non sunt tamen Christianis obscura.

V. At vtrumque suis Sanctis Papistæ tribuunt. Nam, primo interpellationem etiam profitentur, cum ab iis deferri preces suas contendunt: imo vero eorum precibus sibi veniam dari, seque exaudiri postulant. Missale Romanum in festo S. Thomæ Episcopi, *Deus, pro cuius Ecclesia gloriosus Pontifex Thomas gladiis impiorum occubuit: præsta, quæsumus, vt omnes, qui eius implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum.* Et ibidem pro Innocentibus, *Sanctorum tuorum nobis, Domine, pia non desit oratio: quæ & munera nostra conciliet: & tuam nobis indulgentiam obtineat.* In festo S. Andreæ Apostoli, *Sacrificium nostrum tibi, Domine, quæsumus, beati Andreæ Apostoli tui precatio sancta conciliet: vt in cuius honore solemniter exhibetur, eius meritis efficiatur acceptum.* In Damasi: *Da, quæsumus, Domine, fidelibus populis Sanctorum tuorum semper veneratione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri.* Apollinaris, *vt, cuius venerandam celebramus festiuitatem precibus eius indulgentiam consequamur.* In Marci Papæ, *Intercedente beato Marco confessore tuo, atque Pontifice supplicationes nostras placatus intende.* In Ioannis Chrysostomi, *Sancti Pontificis tui Ioannis Chrysostomi, nobis Domine pia non desit oratio.*

VI. De Satisfactione quid dicam? Aut quidnam aliud est, placatum habere Deum per alicuius merita? Item sibi remitti peccata, donari veniam, misericordiam assequi? At hæc omnia Papistæ à Deo postulant per merita Sanctorum. In festo Nicolai Episcopi, *Vt eius meritis & precibus, à gehennæ incendiis liberemur.* In Leonis Papæ, & in Athanasij, & in Basilij, *Eius intercedentibus meritis ab omnibus nos absolue peccatis.* In octaua Apostolorum Petri & Pauli, *Vt amborum meritis, æternitatis gloriam consequamur.* In Ludouici Confessoris, *eius quæsumus, meritis, & intercessione Regis regum Iesu Christi Filij tui nos cohæredes efficias, & eiusdem regni tribuas esse consortes.*

VII. Quid, quod ipsam oblationem quam in Missa faciunt, ipsius, vt blasphemant, Filij Dei, Deo Patri gratam fieri postulant intercedentibus iisdem Sanctis? In conuersione Pauli, *Apostoli tui Pauli precibus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica; vt quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis.* In Francisci de Paula, *Hæc dona deuotæ plebis, Domine, quibus tua cumulamus altaria, beati Francisci meritis, tibi grata, nobisque salutaria, te miserante reddantur.* In apparitionis Sancti Michaelis, *Hostias tibi, Domine, laudis offerimus, suppliciter deprecantes, vt easdem Angelico, pro nobis intercedente suffragio, & placatus accipias, & ad salutem nostram peruenire concedas.* In Nærei, & Achillæi, *Quæsumus Domine, vt beatorum martyrum tuorum, Nærei, & Achillæi, atque Pancratij deprecationibus, Sacramenta Sancta, quæ sumpsimus, ad tuæ nobis proficiant placationis augmentum.*

VIII Hæc igitur, atque alia pleraque quæ ex Missali, & Breuiario colligi possunt, ostendunt, quo sensu à Papistis, tum Angeli, tum Sancti dicantur, mediatores, siue intercessores. Videlicet, non tanquam precatores simpliciter, quomodo certum est, omnes fideles, alios pro aliis suppliciter Deum precari: sed etiam tanquam vere intercessores, qui aliorum preces ad Deum deferant: neque hoc tantum: nam, & Sacerdotum in Veteri Testamento, & Pastorum in Nouo, hæ partes sunt; sed etiam, vt eas ipsas preces oblatas Deo commendent, & commendent suis meritis, id est, gratas efficiant: imo, non tantum preces commendent; sed etiam ipsos precantes Deo sic concilient, vt assequantur remissionem peccatorum, vitam æternam.

IX. At contra Catholici, credentes, *Quicquid ad salutem nostram requiritur, nobis in vno demum illo Iesu Christo offerri, & communicari vt qui, cum nobis seruandus sit datus, simul etiam sit nobis factus sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio, adeo vt quicumq; ab eo declinat, misericordia Patris id est, vnico refugio nostro renunciet*: Quæ confessionis Gallicæ verba sunt articulo 13. sic, inquam, credentes necessario inferunt, alium nullum prorsus, aut esse, aut esse posse pro se mediatorem apud Deum; siue intercessorem, siue interpellatorem.

X. Itaque hic tandem status erit huius controuersiæ; vtrum præter Christum, Sancti sint nostri apud Deum mediatores. Id autem affirment Papistæ: Catholici negent: miror à Bellarmino hanc partem esse prætermissam: imo vero vix à quoquam Papistarum tractatam, αὐτὴν καθ' αὑτήν, sed per accidens, cum agunt de iis Sanctis inuocandis. Nam ne Salmero quidem aliter, quum tamen ex professo tractaret luculentum illum locum ex priore ad Timotheum. Nos putauimus quæstiones distinguendas: & ea de inuocatione in aliud tempus dilata, hanc de intercessione nunc agitandam: de qua, quos viderim hi scripserunt Papistæ; Petrus Auratus paradoxo 85. Lindanus Panopliæ libro 3. c. 30. & seq. Peresius de Traditionibus lib. 3. Costerus Enchiridij c. 12. Eckius in Enchiridio, c. 15. Ioannes Fabri dispnt. cum Baltasaro, c. 7. Pighius controuer. 13. Posseuinus contra Chitræum impostura 7. Richeomus de Sanctis, c. 18. & seq. Porsanus contra Falguerollium. Bellarminus de Sanctis libro 1. c. 18. Salmero in priorem ad Timotheum, disput. 7. & 8.

CAP. II.

De Sanctorum orationibus.

I. IN retexendis Papistarum disputationibus, miratus sum, totam hanc de mediatione Sanctorum in hoc vno consumi, vt probent Sanctos defunctos orare pro nobis. Cum tamen demonstratum sit, non hanc tantum ob causam ab iis illos mediatores constitui. Atqui in primis erat necessarium probare primo preces nostras per eos Deo præsentari: Secundo, nos ipsos Deo commendari per ipsorum merita. Tertio, per eadem merita dari nobis remissionem peccatorum, & vitam æternam. At hæc prorsus ne disputantur quidem: Mirum stuporem! sed agamus ergo saltem de precibus.

II. Esto igitur argumentum! Quisquis pro aliis Deum orat, is est mediator At Sancti pro aliis Deum orant. Ergo Sancti sunt mediatores.

III. Respondeo, distinctionibus opus esse. Primo, Sancti appellantur, vel omnes fideles etiam in his terris degentes, quæ frequentissima eius vocabuli notio in Scripturis. Vel fideles defuncti, apud Deum iam regnantes: quo sensu vsurpatum iam olim apud Patres: hodie perseuerat apud Papistas: in Scripturis, aut nunquam, aut rarissime. Secundo; oratur pro aliis varie: tum in genere: vt quotidie Ecclesia orat pro vniuersis fidelibus: orat pro persecutoribus; orat pro Iudæis, & Turcis: tum particulariter pro hoc, vel illo homine, puta Petro, aut Ioanne; item pro in hoc vel illo statu constitutis: vt pro Petro incarcerato, pro Thabita mortua. Rursus preces concipiuntur, vel à fratribus ex iure tantum eiusdem communionis in fide, & charitate: vel à mediatoribus ex vi suorũ meritorum.

IV. His ita distinctis, iam ad argumentum: Sanctos hic intelligi defunctos, non vero viuentes in his terris nobiscum. Nam & de illis inuocandis colendisque Papistæ laborant. Itaque maiorem negamus. Quia non quicumque orat Deum, is mediator est apud Deum: alias tot haberemus mediatores propemodum, quot sunt homines: & cum Scriptura sæpissime mutuas hominum preces commendet, tamen, neque ipsa, neque vlli Patres docuerunt homines viuos esse mediatores apud Deum. Is igitur erit mediator, qui orat, primo, non tantum in genere pro omnibus, sed etiam pro singulis; secundo, ex vi suorum meritorum.

V. Ad minorem vero: Primo Sanctos orare pro nobis in terra positis non est certum. Secundo, orare pro nobis in genere potest concedi: sed sigillatim, falsum est. Tertio, orare pro nobis ex vi suorum meritorum, nobisque sic impetrare remissionem peccatorum, & vitam æternam, est ἄτοπον, imo ἀδύνατον. Itaque negamus Sanctos dici posse nostros apud Deum mediatores. Et de tertio quidem capite, merum est apud Papistas silentium. Quod vero ad reliqua attinet, disputant ita fieri Peresius, Bellarminus, Salmero. Et quidem Peresius promiscue. Hi vero distinctis quæstionibus, quod & nos faciemus.

CAP. III.

Vtrum Scripturæ doceant Sanctos defunctos orare in genere pro viuentibus.

I. ESto igitur quæstio prima, Vtrum Sanctorum animæ pro nobis orent in genere: hoc est, vniuersaliter pro Ecclesia Christiana, fideliumque vniuersitate. Exempli gratia, vt Deus eos tueatur aduersus omnes diaboli mundique insultus: vt spiritus virtute confirmet, ne deficiant in tentationibus: & similia plurima. Hoc vero enixe contendunt Papistæ, & omnino tam certum esse volunt, quam vel Sanctos esse. Sic enim Peresius, sic Bellarminus asserit.

II. At nos, primo etiamsi id ita constaret, tamen negamus propterea Sanctos appellari posse mediatores. Et miramur hac parte adeo suæ causæ Papistas defuisse, vt ne verbo quidem exiguo quæstionem attigerint, eamque ob causam asserimus frustra laborasse. Ratio est, quia nemo vnquam Papistarum Sanctos inuocauit, quod ἀδιορίστως putet ita concipi Sanctorum ad Deum preces: sed potius, quia persuasissimum habent singuli sigillatim pro se intercessuros: & quidem non tantum habita ipsius ratione personæ, sed etiam circumstantiarum. Sic enim qui peste laborat Rochum inuocat: non vero is qui epilepsia: qui se potius Ioanni commendat. Et hydrops Eutropium sollicitat, & parturiens Catharinam. Is etiam qui scrofam sibi bene sanam cupit, & fertilem, nunquam adeat Eligium, nec miles equum Antonij tutelæ permittet vnquam. Itaque, si hæc persuasio auerruncetur à cordibus, nemo vnquam Papista, Rocho, Ioanni, Eutropio, Catharinæ, Antonio, Eligo, candelam offerat. Et sane mediatorem fingere, qui nesciat pro quibus interpellet, aut quidnam pro iis postulet, tam absurdũ est, vt ne somniando quidẽ concipi posse videatur.

III. Secundo, de ipsa quæstione pronunciamus, habere quidem nonnihil verisimilitudinis: posseque ad populum de ea plausibiliter perorari. Nec sane velimus tam serio Papistis aduersari in hoc capite, quã in aliis plurimis: sed facile relinquemus in medio, vt quisque suo fruatur iudicio. Quid ergo? Nimium ferre non possumus, vt quę tantum verisimilia sunt: ea pro indubitatis fidei articulis obtrudantur Ecclesiæ: eamque ob causam ij damnentur hæreseos, quibus certum est sese intra simplicitatis, modestiæque Christianæ terminos continere. Multo minus, vt inde labefactetur Domini nostri Iesu Christi honor, & titulus Mediatoris communicetur cum multis: populus etiam Christianus, in apertam idololatriam inducatur, vt fit. Itaque hic sit status quæstionis. Nullo argumento certo constare defunctorum animas Deum orare pro nobis in genere. Quod manifestum fiet explicatis argumentis quæ aduersarij proferunt. Et primo è Scriptura.

IV. Hieremiæ c. 15. *Dixit Dominus ad me, Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo, inquit Bellarminus, Moses & Samuel iam mortui poterant, & solebant orare pro populo Iudæorum, Ergo, falsum est in Scripturis non haberi, quod Sancti mortui orent pro viuis.

V. Respondemus, negari consequentiam. Primo quia huiusmodi hypotheses nihil solent vel affirmare, vel negare. Imo vero potius ad ἔμφασιν, maiorem supponere ea quæ omnes sciunt impossibilia. Exempla passim obuia. Ad Galat. 1. *Si vel nos, vel Angelus è cœlo euangelizet vobis præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto.* Vnde quis concludet, posse vel solere Angelum euangelizare præter Euangelium? Hieremiæ 13. *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Ecclesiastici 6. *Si duobus millibus annorum vixerit* Ecclesiastis 10. *Si communicabit lupus agno aliquando sic peccator iusto*, Hieremiæ 33 *Si irritum facere potestis fœdus meum de die, & fœdus meum de nocte, idque, vt non sit diurnum tempus, & nocturnum tempore suo. Etiam fœdus meum cum Dauide seruo meo irritum fiet.* Itaque nimis quam absurdum est Iesuitæ artificium, sic è quolibet quidlibet efficiens. At nos multo facilius colligeremus id ipsum non fieri. Nam certe si fieret, non sic enunciasset Propheta.

VI. Instantia: Etsi, inquit, fortasse significetur eos tunc non orasse, quia intelligebant rem esse iam desperatam, tamen significatur eos alias orare consueuisse, quando se impetrare posse putabant. Alioqui inepta esset hæc Dei loquutio. Nam si quis diceret Si iumentum meum orauerit pro te, nihil impetrabit, inepte loqueretur: quia iumenta non possunt orare. Et similiter, si quis diceret, Si Cicero, vel Demosthenes huc venerit, non persuadebunt mihi, inepte loqueretur, quia mortui huc venire non solent. Aliud esset, si Scriptura diceret, Si starent, id est, si per impossibile, nunc viuerent, & orarent: at nunc ait, *Si steterunt*, & Græce ἐὰν στῇ, non ἐὰν ἐστῶ. & Hebraice יעמוד, si stabit Moses.

VII. Sed hæc sunt inepta. Nam primo exempla producta sunt in contrarium, rerum impossibilium per hypothesin enunciatorũ. Itaq; vel falli instantiam oportet, vel eos locos esse absurdos, quod est blasphemum. Secundo, conceditur Moysen & Samuelem, alias orare consueuisse pro populo, scilicet, dum essent in viuis: eoque Prophetam respicere, cuius per se patet, & annotant Veteres: sed non sequitur etiam post mortem. Tertio, vident omnes absque ratione ineptam appellari loquutionem: Si Cicero venerit, non persuadebit: est enim similis illi: Si angelus de cœlo euangelizet. Quarto, in verbis Prophetæ nihil est quod excludat positionem eius quod est impossibile: & sensus sit, si per impossibile nunc viuerent. Et, quæ in verbis grammaticatur, adeo sunt nihili, vt indicent magnam Bellarmini imperitiam, tam Latine, quã Græcè, & Hebraicè. Nam & Hebraice non possunt huiusmodi hypotheses concipi, nisi per futurum, siue impossibiles sint, siue minus. Sic in locis paulo ante citatis. Hierem. 33. אם תפרו. Et 13. היהפך Esaiæ 1. יהיו, *Si fuerint peccata vestra vt coccinum.* Denique 1. ad Galat. illud *euangelizet* à Syro redditur per futurum נסברכון. Græce autem quid sibi vult quæso? An istas impossibiles hypotheses exprimendas per præsens? Imo sciunt docti in modo subiunctiuo vix vllam esse temporum significationem discretam, sed tantum flexionis rationem. Tum Hier. 33. ἐὰν [illegible] ποιήσητε τὴν διαθήκην μου de re impossibili in Aoristo, & de possibili Matth. 9. ἐὰν μόνον ἅψωμαι, *Si solum tetigero vestimentum eius.* Contra in præsenti, de re impossibili. Ad Galat. 1. ἐὰν εὐαγγελίζηται, *si euangelizet.* Iam Latinè quid dicam? Certè, cum ad Galatas legamus, *Si euangelizet*: tamen qui Syriacam versionem interpretatus est, scripsit, *Si euangelizauerit.* Itaq; oportet eodẽ sensu dici vtrumq; tempus, & quidem de re impossibili. Itaq; nihil quam nugatur Bellarminus.

VIII. Secunda ratio nostra negatæ consequentiæ. Quia eius loci sensus est: Etiamsi Moses & Samuel nunc essent in viuis, & vt olim precarentur me, pro isto populo. Itaq; de defunctorum precibus nullus est sermo; sed de viuorum. Et ita Veteres intellexerunt. Theodoretus. Hic demulcet Prophetam, *Ne putes*, inquit, *quod per tui contemptum supplicationẽ non susceperim, quia, neq; his acquieuissem supplicantibus, qui tanta ediderunt miracula, horum meminit tanquam antiquorum: eo etiam quod hi frequenter pro populo ipsum interpellantes persuasissent.* Interpellantes autẽ quando? An postquam erunt inter mortuos? Imo vero dum essent in viuis. *Etenim magnus ille Moses in conflatione vituli, cum Deus dixisset: Sine me, vt indignabundus deleam eos, feruentissimis precibus oblatis conciliauit Dominum his qui peccauerant. Itidem & Samuel huic non dissimile præstitit, dum pluuiam copiosam tempore messis adduxit.* Sed Chrysostomus disertior: in sermone, ne desperemus si in bene operando tardi fuimus, vel potius homilia 1 in priorem ad Thessalonicenses: nam hinc ille sermo decerptus, ἐὰν στῇ Μωσῆς καὶ Σαμουήλ. ὁ πρῶτος νομοθέτης, ὁ πολλάκις αὐτοὺς ἐξελόμενος κινδύνων, ὁ εἰπὼν, εἰ μὲν ἀφῇς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν, ἄφες. εἰ δὲ μὴ, κἀμὲ ἐξάλειψον. εἰ τοίνυν οὗτος ἦν νῦν, καὶ ταῦτα ἔλεγεν, οὐκ ἂν ἔτυχε, *Si steterit Moses & Samuel. Primus ille legislator, is qui sæpe liberauit eos à periculis, is qui dixit, si quidem dimittas peccatum, dimitte: sin minus, & me dele. Si igitur is hoc tempore superstes esset, & eadem diceret, non obtineret.* Et confirmatur à loco simili apud Ezechielem 14. *Etsi fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Dauid, & Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas. Tres viri isti si fuerint in ea, Viuo ego, dicit Dominus, quia nec filios, nec filias liberabunt.* Vbi illud differte, si fuerint in medio eius: si fuerint in ea. Et Chrysostomus hunc locum præcedenti comparat, vt similem, imo vero germanum.

IX. Secundo, profertur locus è 15. posterioris Macchabæorum: vnde somnium describitur Iudæ Macchabæi, cuius enarratione militibus suis animum addiderit, asserens se vidisse in somnis Oniam Sacerdotem orantem pro populo Iudæorum, ostendentemq; Ieremiam, qui multum orarет pro populo, & vniuersa sancta ciuitate. Sed nos excipimus: primo, librum esse Apocryphum: cuius auctoritati fides Christiana non innititur. Deinde narrari somnium. Iam vero, cum quę sint in Apocryphis serio dicta momentum habeant nullum, quanto minus somnia? Tertio: vulgo notum est somnia etiam θεόπεμπτα nunquam esse absq; inuolucris: id est, nunquam rem ipsam nudè describere: itaq; opus habere solerti cautaque interpretatione. Quare, vel somnium hoc longe abscedere à somniorum natura, vel si cuiusquam esset momenti, aliquid aliud significaret, quam Oniam & Hieremiam orasse tum temporis pro Iudæis.

X. Tertio, locus ex Apocal. c. 5. vbi describuntur viginti quatuor Seniores in cœlo procidisse coram throno Dei, habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes iustorum: Quem locum exponentes Primasius, Richardus, Scholia Græca apud Oecumenium, & Gagnæus, dicunt orationes illas esse intercessiones pro infirmorũ stabilitate.

XI. Respondeo, solum Gagnæum interpretari has orationes, quas Sancti pro viuis fundunt: indeq; coniicere eorum quæ hic aguntur, sanctos sensum habere cognitionemque. Sed hunc auctorem, & recentem (denatus est enim, haud ita pridem) & Papistã, & Sorbonicum, Catholici certe non magni faciunt. Primasium incertum esse & ambiguũ, nec indicasse, quos Sanctos intelligat, viuosne an defunctos, *Orationes*, inquit, *Sanctorum, gratiarũ actiones sunt congratulantium pro mundi salute, & intercessiones pro paruulorum stabilitate.* Esse autem huiusmodi, tum gratiarum actiones, tum intercessiones viuorũ, nemo est qui neget. Reliquos vero omnes Interpp. nõ alias intelligere preces, quã viuentium, ne acceptis quidem Scholiis Græcis: & Richardo: quos ergo necesse est falso citari à Bellarmino. Aretas auctor Scholiorum Græcor. αἱ δὲ χρυσαῖ φιάλαι, αἱ διάνοιαί εἰσι τῶν ἐργαζομένων τὰ θεοφιλῆ, διὸ καὶ χρυσῷ ὑποσημαίνονται, διότι ἡ παρ' ἡμῖν τιμίας ὕλης τῷ ἐνδελεχισμῷ τῆς πρὸς τὸ θεῖον ἀνατάσεως τὸ κατὰ προκοπὴν τίμιον ἐξηχούντων, *Aureæ phialæ sunt mentes eorũ qui pia & Deo placentia operantur quamobrem per aurum designantur, quæ apud nos materia pretiosa, eorum, inquã, quæ cõtinua in Deũ eleuatione pretiositatẽ eã quæ ẽ proficiendo affectui sunt.* Quis non videt, & τὸ ἐργάζεσθαι, & τὴν πρὸς θεὸν ἀνάτασιν, & τὸ κατὰ προκοπὴν τίμιον, de viuis intelligenda? Rursus ἐκ τούτων καὶ τὸ ἐξατμίζεσθαι, τὸ ἰᾶσθαι τὴν καθ' ἡμῶν δικαίας τοῦ Θεοῦ ὀργῆς ἐναντίωσιν τῶν πονηρῶν ἐπιτηδευμάτων, αἰτίαν τῶν θυμιαμάτων. διὸ καὶ θυμιάματα οὐχὶ δεόμενα εἴρηται ἴαμα γὰρ, καὶ τὸ εἰρηκότι [illegible] τῶν ἁγίων. Θεὸν παύσεται ἁμαρτίας μεγάλας καὶ ὅτι εἰς θυμίαμα αἱ προσευχαὶ τῶν ἁγίων. ἐὰν εἰς τὸν Θεὸν τυγχάνωσι, δῆλον, οὐκ μὲν τῆς παλαιᾶς, δι' ὧν φησὶ Σαμουὴλ ἐὰν εἰς τὸν Θεὸν ἁμάρτῃ τίς προσδέξεται περὶ αὐτοῦ; οὐκ δὲ τῆς νέας, δι' ὧν οἱ θεῖοι τοῦ Κυρίου μαθηταὶ λύειν, καὶ δεσμεῖν ἁμαρτίας ἐξουσίαν ἔλαβον. *Ex iis phialis exhalantia diffunduntur thymiamata, id est, remedium iustæ in nos iræ Dei oppositum*

praua

praui studÿs. Remedium enim (vt quidam dixit) cohibebit peccata magna. Apud Deum autem interpellare preces Sanctorum in remedium iræ, manifestum tum à Veteri Testamento, quia Samuel dixit, Si in Deum peccauit quis orabitur pro eo?tum ex Nouo, quia Domini, discipuli potestatem acceperunt soluendi ligandique peccata. Neget iam aliquis hæc Scholia de viuorum precibus intelligenda? Certe in Veteri Testamento non docent Papistæ, Sanctos defunctos mediatores fuisse, vtpote qui non ipsi quidem Deum viderent; sed in limbum detruderentur procul à Dei visione. Itaque non potuit Samuelis dictum intelligi de precibus defunctorum. Illa autem potestas ligandi, soluendique, estne aliquis, qui nesciat fuisse discipulorum viuentium, & ministerio in Ecclesia fungentium? Est igitur non obscura mens eorum Scholiorum Richardus nihil habet, quod ad mortuorum preces accedat: sed contra potius. Quatuor animalia interpretatur, quatuor Euangelistas, siue vniuersos prædicatores. Seniores viginti quatuor, omnes vniuersalis Ecclesiæ iudices, & quicumque sub illis comprehenduntur fideles duodecim Prophetarum, & Apostolorum doctrinis & exemplis innitentes: se per ipsum iustificari poscentes. Cytharas, quia pulsu manuum suauiter sonant, opera bona, quæ proximos ad cælestem patriam excitant. Hæc ad mortuorum statum torqueri quomodo queant, non video.

XII. Irenæus lib. 4. c. 33. *Quoniam ergo nomen Filÿ proprium Patris est, & in Deo Omnipotente per Iesum Christum offert Ecclesia, bene ait, secundum vtraque, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. Incensa autem Ioannes in Apocalypsi orationes esse ait Sanctorum.* Ambrosius in Apocalypsin, *Quid autem sint odoramenta, ipse exponit, cum subiungit, Quæ sunt orationes Sanctorum: Et vt hæc odoramenta ad Deum ascendant, Psalmista precatur, cum dicit, dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine.* Istis igitur iudicibus locus hic pertinet ad preces, quæ quotidie fiunt à fidelibus, dum sunt in hac vita: non vero postquam sunt in cœlum recepti.

XIII. Quartus locus è 1. c. posterioris Epistolæ Petri, *Dabo operam, & frequenter habere nos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Nam intelligit, dabo operam habere vos commendatos, siue in animo post mortem meam, *Quasi dicat* (Sic enim Nodino visum in Exodi c. 8.) *Non tantum hic vestri curam gero, sed post depositionem tabernaculi mei, dabo operam semper meis precibus apud Deum fusis, vt horũ omnium mentionem facere possitis.* Vnde aliqui Veterum (vt obseruant Scholia Græca) colligebant Sanctos post obitum gerere curam viuentium. Et citatur idem locus, tum à Iodoco Coccio, Thesauri libro 5 art 4 tum à Ludouico Richeomo de Sanctis, c. 10. tum à Petro de Bolio, de authentica probatione Christiani sacrificij. Sed Bellarminus tamen sensit infirmitatem argumenti, negans esse euidens, sed tantum probabile.

XIV. At Catholici stuporem Papistarum hic, si vsquam, admirantur, qui sponte cæcutiunt in interpretandis Scripturis. Et hunc locum conqueruntur fœdissime deprauatum barbara ineptaque versione. Græca sic habent, Σπουδάσω δὲ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι, Doctissimus Beza vertit, *Sed & studebo, vt vos subinde post exitum meum possitis horum mentionem facere.* Vt τὸ ἔχειν referatur, non ad Petrum, sed ad eos, ad quos scribebat: scilicet, non vt Petrus ipsos habeat: sed vt ipsi habeant. Deinde ποιεῖσθαι μνήμην, construatur cum ἔχειν, vt sit, vt habeatis memoriam facere. Et sit sensus: Dabo operam, vt possitis meminisse Quomodo Gagnæus vidit interpretandum locum: Vertit enim, *Dabo quoque operam, vt postquam egressus ex hoc tabernaculo fuero, perpetuum eorum, de quibus vos commonefeci, memoriam teneatis.* Erasmus etiam, *Quin etiam semper operam dabo, quo possitis horum mentionem facere post exitum meum.* Nec Caietanus aliter paulo post citandus. Itaq; illud *post exitum meum,* non ad id pertinet, quod dicitur, *dabo operam*, sed potius ad illud, *mentionem faciatis.*

XV. Repugnant tamen E primo, phrasin vrgent. Gagnæus negat se putare vnquam inueniri τὸ ἔχειν, alteri infinitiuo iunctum, pro posse, itaque comminiscitur nescio quod Petri μνημονικὸν ἁμάρτημα: qui cum præmisisset ἔχειν, ob longum hyperbaton, iam non memor prædicti verbi, adiecerit rursum ποιεῖσθαι: cum sufficeret alterutrum. Salmero quid simile nugatur. Etsi fateor à me sensum non percipi. Describo ex 2. disput in hanc epistolam, *Nec valet quod Erasmus legit, ἔχειν ὑμᾶς,* cum verbo ποιεῖσθαι, *id est, vt vos post exitum meum horum mentionem facere possitis.* Et post, *Verbum ἔχειν, si cum aliis modis præter infinitiuum iungatur significat posse: vnde Lucianus dixit, οὐ γὰρ εἶχον εὑρεῖν, hoc est, non enim possum inuenire. Vbi vero ἔχειν in infinitiuo ponitur cum alio verbo infinitiui, non significat posse.*

XVI. Sed enim quid illud est, *Si cum aliis modis præter infinitiuum iungatur?* An vult regere indicatiuum, aut imperatiuum, aut subiunctiuum? Egregium grammaticum, qui nouas leges loquendi Græcis vult imponere. Hoc enim nunquam auditum est ab vllo Græco, vt ab vllo verbo possit vllum verbum regi in modo finito. Deinde ipsum inductum exemplum contra est, εἶχον εὑρεῖν. Nam certe εὑρεῖν, est infinitiui. Secundo, quomodo constabit huius membri cum altero antithesis? Si cum aliis modis iungatur præter infinitiuum, significat posse. Vbi vero in infinitiuo ponitur cum alio verbo infinitiui non significat, posse. Nam hæc certe membra non opponuntur: quia in priori agitur de modo verbi iuncti cum ἔχειν: in altero autem de ipsius verbi ἔχειν modo. Hoc credo tam absurdum, tam nouum, tam fictum inuentum esse, vt cogitantem turbarit tanta absurditas, tanta nouitas, tanta fingendi audacia, vt extra se positus nesciret, quid loqueretur. Quanquam, quid miremur in Salmerone, qui etsi subinde græculus affectat videri, tamen ostendit se eius idiomatis esse imperitissimum? Nam quale illud est quæso, quod effutiuit, disputatione 21. in priorem ad Corinthios, *Græce comparatiua gignendi casum regunt: superlatiua vero ablatiuum.* Nam hoc quidem admiraculum vsque, & imperitum est, & impudens.

XVII. Mirum vero, si quis vel leuissime salutatis Athenis, horũ hominum imperitiem nõ detegat. Nam, quocunq; modo sumatur τὸ ἔχειν, significationem habet potentiæ, iunctam cum alio verbo infinitiui modi. Exemplis doceo, qua sanctis, qua prophanis. Matth. 18. μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ ἀποδοῦναι. Vetus Interpres, *Quum non haberet vnde redderet,* περιφραστικῶς, vt & Syrus וכד לית הוא לה למפרע *Et cum non esset ad soluendum.* Beza. *Quum autem is non posset hæc reddere.* Franciscus Lucas, μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ ἀποδοῦναι, *non habente autem eo reddere, id est, non valente.* Ioan. 8. ἵνα ἔχωσι κατηγορεῖν αὐτοῦ Vetus Interpr. *vt possent accusare eum.* Act. 4. οὐδὲν εἶχον ἀντειπεῖν. Vetus Interp. *Nihil poterant cõtradicere.* Vt & Syrus ולא משכחין הוו מדם לאמר לוקבלהון *Et non poterant quicquam dicere contra eos.* Quomodo paulo post: ὃ οὐ δυνάμεθα ἀρνήσασθαι. *Et non possumus negare.* Ad Ephes. 4. ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι τῷ χρείαν ἔχοντι. Vetus Interp. *Vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.* Rursus, περιφραστικῶς, vt & Syrus: *vt sit illi ad dandum ei qui indiget.* Beza, *vt Possit impartiri cui opus fuerit* Salmero. *Nec enim Apostolus dixit: laboret vt non indigeat: vel, vt habeat victum & vestitum, & vt alteri molestiã non exhibeat: sed vt possit impartiri his qui indigent.* Demosthenes pro Corona, οὐκ ἔχειν ἀπολύσασθαι τὰ κατηγορημένα δόξω. *Videbor non posse diluere obiecta.* καὶ περὶ μὲν τῶν τότε πραχθέντων ἔχων ἔτι πολλὰ λέγειν. *Et cum possim insuper multa dicere de iis quæ tum gesta sunt.* Pudet diutius immorari in re tam puerili. Franciscus Lucas in Matth. 18. ἔχω additum verbis infinitiuis plerumq; significat *possum* Espenseus in caput 2. ad Titum ἔχειν cum infinitiuo, *posse Græcis significat.* Ergo hoc saltem argumentum est putidum.

XIIX. Addit alterum Salmero: Quia hic sensus, nempe vt vos post exitum meum, horum mentionem facere possitis, non esset ad propositum: & ter idem fuisset à Petro dictum; Nam primum dixit, *propter quod incipiam vos commonere de his.* Deinde *iustum autem arbitror: quandiu sum in hoc tabernaculo.*

XIX Frustra nam non esse ad propositum, nullus probat. Salmero tantum sumit: & erat tamen non indignum in quo laboraret Sed is eius mos est perpetuus: vt quæ desperet tractata nitescere posse relinquat παντελῶς ἀγνοητικῶς. Sed cur non æque ad propositum, ac reliqua, *incipiam vos commonefacere: & iustum arbitror?* Nam si idem vbique sensus vt ipse putat Salmero: certe æque singula ad propositum. De repetitione non est quod sit sollicitus Primum enim, non omnis repetitio damnanda est, Est enim quædam, quæ ἐπιμονὴ dicitur: etiam laudanda. Neque hic superflua repetitio Nam primo ponitur quasi positio, *Non negligam vos de istis semper commonefacere.* Tum ratio: *Iustum arbitror quandiu sum in hoc tabernaculo excitare vos per commonefactionem.* Tum rursus ex ea ratione repetitio positionis, *Studebo vt vos subinde post obitum meum, possitis horum mentionem facere.*

XX. Sed Richeomi quantum est acumen quæso? Vtrouis modo vertas, idem sensus est, inquit? Quianam vero, inquam? Nempe, quia de futuro tempore loquatur Apostolus, non in vita sua, quæ paulo post erat finienda Sed post mortem. Imo, inquam, loquitur de tempore vitæ suæ, cum dicit se daturum operam: & loquitur de tempore post mortem suam, cum de memoria eorum ad quos scribit. Itaque intelligendus est, *Ego dum viuam, dabo operam, vt harum rerum memineritis etiam post obitum meum.* Caietanus. *Et est sensus, quod dabo semper operam, vt habeatis tractatus seu libros, quibus possitis semper memoriam horum facere.* Et colligitur ex præcedentibus: *Non negligam vos de istis semper commonefacere. Iustum enim arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonefactionem.* Cui officio, hoc diligentius incumbebat, quo sciebat magis instare diem sui obitus αἰτίαν ἀποδιδοὺς τῆς συνεχοῦς ὑπομνήσεως, ἐπήγαγε τὸ εἰδέναι ταχεῖαν ἔσεσθαι τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος τούτου αὐτοῦ ἀπαλλαγήν, inquit Oecumenius. *Reddens causam frequentis commonefactionis; subiunxit se scire breui futurum, vt liberetur ab hoc corpore.*

XXI. Quid tum autem, si quidam iam olim perperam siue verterunt siue exposuerunt hunc locũ? Itane oportet, quicquid vnquam aliquis somniauit, nobis esse pro lege? Absurdum; ἀθεόλογον, Tyrannicum. Et quidem illi, quinam fuere? homines nullius nominis. Nam, præterquam quod eos Oecumenius indicauit, nusquam sunt nominati Omnino enim nullus reperitur autor ante id tempus (erat autem Oecumenij seculũ à Christo decimum) qui eius loci eum sensum esse diuinarit. Has nos laruas nõ contemnamus? Hæc μορμολύκεια obiicientes Papistas non rideamus? Enimuero quid est, *operam dabo vt habeam vos post obitum meum?* aut quis vnquam sic loquutus, habere aliquem, id est, habere alicuius curam? exemplum postulo. Deinde quid est, *dabo operam?* aut quomodo id conuenire potest sanctis post mortem defunctis? Μακροὶ λῆροι Næ istis longe præstant, qui in Apostoli verbis nihil barbarum, nihil ἄκυρον agnoscunt, tantum ὑπερβατὸν obseruant, sed familiarissimum Græce loquentibus.

XXII. Quintus locus è 16. Lucæ; vbi Diues epulo orat pro fratribus suis. Quod si iste maledictus (verba Richeomi c. 10. de Sanctis) charitate destitutus, solicitus fuit orare pro viuis: quanto magis sancti ob amorem Dei salutemque fratrum, quos amant charitate prorsus cœlesti? Nec Bellarminus aliter.

XXIII. Sed consequentiæ vis nullla. Quia antecedens non est verum: non est inquam, verum, epulonem orasse pro fratribus. Ratio, quia locus est parabolicus. Parabola autem fingit gesta non narrat. Est enim (inquit Salmero in hunc locum) narratio alicuius rei sensibus efficta, ad docendum spiritualia. Et tomi 7. tractatu 1. *Differt parabola ab historia: nam est narratio rei gestæ: parabola vero rei fictæ, & compositæ.* Quomodo igitur, cum Christus Matthæi 13. dixit, quum dormirent homines, inimicum seminasse zizania; non sequitur aliquando ita gestum: ita, neque ab hoc Lucæ loco concluditur Epulonem illum reapse orasse pro fratribus.

XXIV. Hic tamen occurrit Richeomus c. 15. de Sanctis, aperte ridens eos, qui parabolam esse dicunt, neque aliud est quam latitare post carecta: & reticulo tegi contra solis radios. Et re vera fuere nonnulli, qui opinarentur narrari a Christo rem gestam. Quorum rationes sic habe, tum ex Richeomo, tum ex Salmerone tom 4 tract. 20. Primo, non admonuit Euangelista, esse parabolam, vt alias solet, *dixit Iesus ad illos parabolam.* Secundo, nomina propria designantur, Abraham, Lazarus, Moses, Angeli. Tertio, assignantur rei circunstantiæ, locus, nempe sinus Abrahæ, & infernum: item tempus, nempe mors diuitis & pauperis. Quarto, B. Lazarus vbique Sanctus & pauperum protector, altaribus, & imaginibus colitur & inuocatur. Fuit enim ab Ecclesia in numerum diuorum relatus; pauperum aduocatus & morbo contagioso laborantiũ. Quinto, historiam esse agnouerunt, Hieronymus ad Marcellam de exitu Leæ; & ad Paulam de

abitu Blæsillæ. Hilarius in Psal.122. Irenæus lib.2.c.62. & quarti 4. Gregor:in dialogis lib.4 c.33.& tomi 2.homil.40.in Euangelia. Item Lyran. Quin etiam Ambros.lib.8.in Lucam c.3. Cyrillus lib.1.in Ioannem c.22. Euthymius,& Leontius ex annalibus Hebræorum hanc historiam referunt, & diuitis nomen Nimeusin. Abdias etiam lib.5. Historiæ, testem adolescentem suscitatum à Domino.

XXV. Respondeo, concedi non esse aut nullos, aut exigui nominis, qui hoc loco rem gestam existimauerint narrari. Sed esse etiam certum, alios aliter sensisse. Quosdam enim puram putam allegoriam. Sic enim Nazianzenum in Carminib. numerasse inter allegorias, quæ extant apud Lucã: & iterum in allegoriis quatuor Euangelistarum. Cyrillus etiam à Thoma citatur in Cathena. *Præsens sermo de Diuite & Lazaro similitudine scriptus est in parabola.* Theophylactus disertus est. εἰκότως ἐπισυνάπτει καὶ ταύτην τὴν παραβολήν. *Merito hanc subnectit parabolam.* παραβολὴ γὰρ ἐστὶ τοῦτο, ἀλλ' οὐχ ὥς τινες ἀνοήτως ἀν εἰρήκασιν, πρᾶγμα ἐστὶν ἤδη γεγονός. *Est n. parabola hic locus etiã: nõ vt quidam stultè putarunt, res iam gesta.* Euthymius item. *Quam multa frequenter de paupertatis amore docuerit, nunc per parabolam etiam timorẽ duris corde & tenacibus diuitibus incutit.* Chrysost. de Lazaro concione 1. *Quin potius ne leuiter hoc aut obiter agamus, ordine vobis parabolam istam recitabimus.* Et post. *Qua gratia Dominus per parabolas loquutus sit, & quam tandẽ ob causam ex parabolis alias quidem explicuerit, alias non item: & quidnam sit parabola, & si qua sunt huius generis alia, in aliud tempus reseruabimus, ne ab oratione, qua nunc festinat, digrediamur. Cæterum, illud vobis dicimus in præsentia, quis Euangelistarum scripserit hanc parabolam à Christo fuisse propositam. Quis igitur est? Nimirum Lucas solus.*

XXVI. Verumtamen, tertia restat sententia, inter primam & secundũ media: quæ historiam quidem agnoscit rei gestæ in Lazaro & diuite: sed tamen παραβολικῶς siue ἀλληγορικῶς tractatam. Quo magis inclinant recentiores, nõ tantũ Caluinus, sed etiam Papistæ, Maldonatus, Salmero. Olim etiam nonnulli. Autor Responsionum ad Orthodoxos, qui inter opera Iustini, respons 60, negat esse aut historiam aut parabolam: hoc ipso, ni fallor, sensu: cum enim historiam dicat esse narrationem τοῦ ἤδη γεγονότος rei iam gestæ: tum vero quod hic recitatur, negat esse gestum. Quin Euthymius, cum quosdam à Iudæorum traditione Nimeusin quendam arcessere dixit: tum *postquam vterque mortuus est*, inquit, *formauit Christus parabolam de rebus ab illis gestis.*

XXVII. Et sane allegoriã quis negare queat? Cum n. narrentur, quæ si gesta sunt, gesta esse oportuit post mortem; & tamen ante resurrectionẽ: tamẽ omnia ita describuntur, quasi essent gesta in corpore, Sic oculos, sic linguam legis, sic digitos, sic aquam, sic ignem. Quæ in statum animarum cadere nullo modo possunt. Et hinc intelligẽdos existimo Theophylactũ & Euthymium, quorum alter, οὐδέπω γὰρ οὔτε τοῖς δικαίοις τῶν ἀγαθῶν, οὔτε τοῖς ἁμαρτωλοῖς τῶν δεινῶν ἡ ἀποπλήρωσις. Alter autem. *Nondum enim eorum quæ in vita sunt peracta, datur retributio: quum nondum adsit iudicium:* Nimirum vt de corporibus dictum intelligatur.

XXVIII. Nihil a. euincunt aduersariorũ argumenta. Nam primo; Quid tum, si nõ admonuit Lucas esse parabolam? Nam ne alias quidem vt c 13. de grano synapi & fermento: & c.10. de homine descendente in Iericho; & 14. de multis vocatis ad cœnam: & ædificante turrim. Et 15. de filio prodigo. Et 16 de dispensatore. Et ne omnia colligam similia, non Ioannes c. 10. de bono pastore.

XXIX. In secundo solum nomẽ est Lazari: in quo vis aliqua esse possit: quæ & ipsa persuasit iis, quos ante diximus, non esse meram parabolam. Itaq; vt maximũ, vrgeat sane eos, quib. placet secunda sententia. Quanq̃ ne hos quidẽ valide. Non n. *efficaciter* inquit Iansenius. Enimvero quid obstat, quominus dicat aliquis nomen esse ἐσχηματισμένον, desumptum videlicet à quodã medico eius nominis apud Iudæos vulgo cognito? Quomodo Paulus, & Apollo, & Cephã, & Paulũ vsurpauit in 1. ad Corinth. pro aliis quibusdã, quomodo etiã Ierusalem & Iericho, Luc. 10. leguntur: & Oseę 1. Gomer filia Diblaim; etsi verisimile non sit rem gestam narrari, sed vel somnium, vel parabolã. Quid? nonne Iudic. 9. & oleam legimus, & ficum, & vitem & rhamnũ? Nec tamẽ negat parabolam vllus. Certe Abrahamũ, Mosem, angelos, non oportuit à Richeomo nominatos. Quid n. habent quod rem gestam significet? Nam, qua ratione Abrahami sinus dictus est pro loco beatorum; eadem ratione Abraham fingitur colloqui cum epulone. Et Maldonatus diserte hanc partem refert ad parabolam: *neq; enim cum Abrahamo, neq; cum Lazaro loquutum fuisse: sed fictum esse in modum parabolæ sermonem.* Mosem vero nominari pro Mosis scriptis, nemo tam cœcus qui non videat, nemo tam impudens qui non agnoscat. Ab angelis autem delatum in sinum Abraham, proprium esse solis sanctis Maldonatus notauit: id est, non particularem huius rei gestæ circunstantiam: sed commune esse omnium sanctorum priuilegium.

XXX. In tertio, negatur aut locus designatus esse aut tempus. Nam etsi sinus Abrahæ sit locus: itidemq, infernum: tamen ea nulla circunstantia est ad designandam rem gestam. Non magis certe quam ager in parabola thesauri absconditi Matthæi 13. aut vinea in parabola fici, Lucæ 13. aut templum in Pharisæi & Publicani. Lucæ 18. Egregiam vero circunstantiam temporis, mortem vtriusq;! Quasi sufficiat ad rem gestam cõ incendam quomodocũq; tempus aliquod designare. Quod si est, cur non tempus somni in parabola zizaniorum Matt.13. & media nox in parabola poscentis tres panes, Lucæ 11 vel in decem Virginum, Matt 25 Cur non, inquam, hæc tempora sic designata rem gestam arguunt? aut si nõ arguunt, cur illud potius tempus post mortem, tam amplium, tam non limitatum.

XXXI. Sed enim mirum, si quarto argumẽto è media idololatria petito palmam non deferant idololatræ. Verum Catholici negant inde quicquam legitime probari. Neq; est quod quisquam miretur apud eos Lazarum adoratum, apud quos præcipua numina sunt Christophori, Georgij, quæ mera sunt emblemata: hoc est aliquid etiam inanius, quam parabolæ. Enimuero, post hæc experimenta ἀποπειρωμένων, nemo iam se autoritate idololatriæ vrgeri patietur, qui non ipse inciderit εἰς νοῦν ἀδόκιμον. Et tamen, quam mihi Ecclesiam narrant, quæ Lazarum in sanctis numeret eiusq; festum colat? Nam certe in nullo Martyrologio ego id nomen legi. Non Romano, non Græco, non Adonis; non alio: Lazari, inquam, huius mendici: nam alios Lazaros scio nominari: vnum Monachum Constantinopolitanum 23. Februarij: alterum Martyrem in Perside 27. Martij: tertium Episcopum Massiliensem fratrem Mariæ & Marthæ 17. Decembris. At mendicum nusquam. Imo neq; apud Petrum de Natalibus, aut Iacobum de Voragine, aut Haræum, aut Surium, aut omnino vllum Legendarium. Itaque sine dubio hoc, quicquid est superstitionis, est à priuata κακοζηλίᾳ, cui Bellarminus permittit priuatum cultum non canonizatorum. Atq; ita Baronius ad annũ 33. in multis locis in memoriam huius erectas Ecclesias haberi; eiusq; anniuersariam celebritatẽ agi in iis. In iis, inquit, cũ nõ potuit vbiq; dicere. Quanq̃ quid alibi fiat nec scio, nec valde curo: sed in nostra tamẽ Gallia; nulla, q̃ sciam, illi templa dicata sunt: sed tantũ leprosorum caulæ, ex nominis allusione puto; Vocant n. *S. Ladre* per totam Occitaniam, Prouinciam, Delphinatum & vicinas regiones. Excepta Auenione, vbi nomen habet *S. Lase*, sed hæc Catholici non curant.

XXXII. Ad quintum, ex Patribus. Primo quidem immerito citantur. Nam quidam suum hac de re sensum non aperiunt: tantum locum vel citant, vel recitant. Vt probent aliquid, quod habebant præ manibus. Hilarius, esse post mortem statuum vicissitudinem. Gregorius agnosci in beata vita fideles à fidelibus. Hierony. ad Paulam: Patres descendisse ad inferos. At, cur non possit concludi aliquid etiam ex parabola? Cuius ea laus est, cum, etsi non gesta, sed certe verisimilia narrat: & quæ non abhorrent à sensu communi. Etsi alioquin sæpe adumbrata figuris loquendi aliunde sumptis. Hieronymus ad Marcellam longe dilutius: nec enim citat, aut recitat: sed alludit duntaxat. *Nunc igitur pro breui labore æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choris, Abrahæ sinibus confouetur; & cum paupere quondam Lazaro, diuitem purpuratum, & non palmatum cõsulem, sed atratum stillam digiti minoris cernit inquirere.* Sic ille de Læta: vnde nemo vnquam probet historiæ veritatem.

XXXIII. At Cyrillum profecto historiam hanc eruere ex annalibus Iudæorum aperte mentitur Salmero. Nam ille quidem hoc tantum. *Quod vero de Lazaro dicunt: non modo nobis non refragatur, verum etiam suffragatur: nam hac vita defunctus Lazarus in sinum Abrahæ fuit deductus: id est cũ Abrahæ filiis collocatus est.* Hæc ille, nec plura. De Ambrosio æque fallum, videat locum paulo prolixiorem qui volet. De Euthymio verum: cui & Theophylactus erat addendus. Quanquam hi annales Hebræorum nullos nominant. sed tantum Traditionem. Viderit Salmero quare annales maluerit. Sed de his siue annalibus, siue traditionibus audi iudicium Iesuitæ Maldonati. *Si tam facile coniecturis vellem credere, quam credere nonulli solent, Regem potius aliquem, ac fortassis Herodem, aut certe regulum, quales multi tunc erant, fuisse dicerem, & ex habitu probarem, quam quod Euthymius, ex Hebræorum traditionibus, aut potius Fabulis, dicit fuisse diuitem quendam sub id tempus, cui Nineusi nomen esset. Minuunt fidem opinionis mali autores Hebræi.* Abdiam si nominasset solum, vapulare meruisset: eleuauit tamen culpam, qui tã inepti autoris fidẽ eleuauit: itaq; mittamus hominẽ.

XXXIV. Quare nihil est quod cogat vel ab ea sententia discedere, quæ parabolam a Christo enarrari docuit: aut saltem ab ea, quæ historiam παραβολικῶς. Quod si est, tum omnino negamus epulonem illum reapse rogasse Abrahamum pro fratribus suis in seculo degentibus. Atq; adeo Maldonatus hoc ipso argumento vtitur, vt probet historiam παραβολικῶς descriptam. *Quod autem diues ille cum Abraham loquutus fuerit, eumq; rogauerit, vt Lazarum ad se mitteret, qui gutta aquæ linguam suam refrigeraret, parabola est historiæ adiuncta: nec enim qui in inferno sunt, sanctos rogare solent.*

XXXV. Sextus locus è 6. Apocalyps. *Quum aperuisset sigillum quintum, vidi sub altari animas eorum qui mactati fuerant propter Verbum Dei, & propter testimonium quod tuebantur. Clamabant autem voce magna dicentes, Vsquequo, Domine, qui sanctus es & verax, non iudicas ac vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Quod si animæ sanctorum petunt vindictam de interfectoribus suis: ergo multo magis misericordiam petunt fratribus suis.

XXXVI. Respondeo, primo consequentiam esse nullam Ratio, quia nõ pro aliis, sed pro seipsis illæ animæ orant, deq; suis rebus. Non enim dicunt. Quare nõ liberas fratres nostros à persequutoribus qui sunt in terra: sed, Quare non vindicas sanguinem nostrum? Non sequitur autẽ, qui pro se orat, & de suis rebus, hunc statim orare pro aliis & ob res alienas.

XXXVII. Secundo, allegorica est oratio, ideoq; variè à variis intellecta. Ambrosius Ausbertus preces istas constituit in solo desiderio extremi iudicij & resurrectionis. *Quid est*, inquit, *animas sanctorum vindictam sanguinis de persequutoribus exposcere, nisi diem extremi iudicij & resurrectionem mortuorum præstolari? Quorum videlicet clamor, mentis est desideriũ. Magnus earum clamor magnum est desiderium, & tanto qualibet earum minus clamat, quanto minus desiderat. Animarum ergo verba, ipsarum sunt desideria.* Quæ sententia est etiam Bernardi, sermone 3. in festo omnium Sanctorum. *Dicunt, Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum qui effusus est: non tanquam vindictæ cupidi, nec de propria vltionis zelo: sed ex desiderio resurrectionis & glorificationis corporum suorum, quam nimirum vsq; in diem iudicij differendam esse non dubitant.* Similiter & Ambrosius ille, quisquis est autor expositionis in Apocalypsin, sed & Haymo, vt sensus sit Sanctos non aut postulare, aut optare vindictam in suos persecutores, qua iustas luant pœnas: sed vindictam suorum corporum occisorum, quæ velut in libertatem asserantur & suam recipiant gloriam. Qua in re vident iam omnes nullam esse mediationis rationem.

XXXVIII. Aretas alium sensum profert: vt sit oratio contra Dæmones οὐ κατὰ τῶν ἀνθρώπων ἡ ἐκδίκησις αἰτεῖται. οὐ γὰρ τοῦτο ἄξιον τῆς ἀγάπης κατὰ τῶν ὁμογενῶν ἐπανίστασθαι. *Nõ postulatur vindicta cõtra homines: neq; n. dignũ esset eorũ charitate, insurgere in eos qui sunt eiusdẽ generis.* κατὰ δὲ τῶν δαιμόνων ταύτην ἀπαιτοῦσιν οἱ ἅγιοι, τῶν ἐναγόντων τοὺς ἀνθρώπους εἰς τὴν ἑαυτῶν ἀναίρεσιν. *Sed eã Sancti poscunt contra dæmones, qui homines incitant, vt illos occidãt.* At Lyran. alia iniit viam, nec ἀτόχως: *Iste clamor nõ est aliud quã manifestatio nequitiæ tyrannorũ coram Deo meritò punienda, & innocentiæ Martyrũ præmiandæ: sicut dixit Dominus ipse Cain, Gen. 4. Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra: i.e. eius innocentia declarat tuã nequitiã puniendã in mortis eius vindictã.* Et in Gl. ordinaria Lugdun. citatur Augustin. in eand. sententiam Ac sane hæc videtur facillima planaq; expositio: vt ἀνθρωποπαθῶς repræsentari dicantur diuinæ

diuinæ mysteria iustitiæ: non quod ita fiant: sed vt ne nos non capiamus, si non nostro modo dicantur, sed suo. Sic autem nulla est intercessio.

XXXIX. Salmero ex veteri Testamento duos addit. Vnum Esaiæ 63. *Tu enim Pater noster & Abraham nesciuit nos: Et Israel ignorauit nos.* Id est, cum olim Abraham & Israel consueuissent nobis suis precibus opitulari, & pro nobis intercedere, nunc videntur esse nostri ipsorum obliti, & nos pro suis non agnoscere. Alterum ex Psalmo 32. *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Loquitur de remissione iustitiæ & peccati. At de Sanctis qui mundi sunt à peccatis non potest intelligi, quod pro sua iniustitia remittenda orent, sed pro aliena. Et non tantum omnis Sanctus viuens: Sed etiam iam defunctus in tempore opportuno; id est, non tantum dum viuerent: sed etiam post mortem, dum in gloria constiterint eis nostræ iniquitates, & votum, quo eorum intercessiones expetimus.

XL. Respondeo, vt ex his locis Salmero suum argumentum conficeret, fuisse necesse multa confingere; & ponere tanquam ἀναμφισβήτητα: de quibus neque iis locis quicquam Spiritus cogitauit, neque alibi vsquam. Enimvero nihil facilius fuerit, quam disputare, si huic audaciæ locus conceditur. In priori; cum olim, inquit, Abraham & Israel consueuissent suis precibus opitulari. Hoc vero si ponit tanquam certum, cur disputat? si disputat; cur ponit pro certo? Annon hæc est manifestissima αἴτησις τοῦ ἐν ἀρχῇ. Tam solidè disputant Iesuitæ. Cæterum locus facilis. Hieronymus, *Nescit nos Abraham & ignorauit Israel, quia te offendimus: nec cognoscunt Filios, quos à Deo suo intelligunt non amari.* Aliter Lyranus, *Quod ab eo non habemus animam.* quod sumpsisse videtur à Procopio, οὐδὲ γὰρ Ἀβραὰμ πατὴρ ἡμῶν· εἰ καὶ τῇ γενέσει διηκονήσατο· σὺ δὲ ὁ ἐκ μὴ ὄντων παραγαγὼν, καὶ πατὴρ πάντων πνευμάτων, καὶ τῶν κατ' εἰκόνα τὴν σὴν πεποιημένων ψυχῶν. *Neque enim Abraham Pater est noster; quamuis generationis minister. Sed tu qui de nihilo producens, spirituum omnium Pater es & animarum ad imaginem tuam factarum.* Aliter rursum Caluinus & quidem cum maiori momento, *Simplex ac verus sensus est, Domine, quod Pater noster es, id adeo firmum ac stabile erit: vt etiam si ius Patrium cognatioque omnis in terra cesset, tamen Pater esse non desinas.* Sic nihil de intercessione quam Salmero somniabat.

XLI. In Psal. 32. Primo supponit Sanctos non tantum viuos, sed etiam defunctos. Atqui non potuerunt docere Iesuitæ חסיד quod verbum is locus habet, vsurpari pro defunctis sanctis. Non solere autem sanctos huiusmodi orare pro sua iniustitia remittenda, dogma est plusquam Pelagianum: contra autem Augustinus in priori enarratione, *Pro hac impietate cordis orabit ad te omnis sanctus. Non enim meritis suis sancti erant, sed opportunitate temporis, hoc est, in aduentu eius, qui nos à peccatis redemit:* quem sensum latius exequitur in posteriori. Euthymius, *Hoc est ab hac iniquitate mihi remissa, pius ac religiosus vir quilibet instinctus rogabit te. Vbi enim innotuerit, remissum mihi fuisse peccatum, statim vt confessus sum, imitabuntur me deinceps pii omnes in tempore pœnitentiæ. Hoc enim pœnitentiæ tempus, quasi idoneum ac commodum, opportunum tempus appellauit. Eritque hac remissio exemplum omnibus pœnitentibus: quos ideo vocauit Sanctos, quia impii atque omnino perditi ii sunt, quos nulla duci contingit pœnitentia.* Remigius. *Pro hac venia peccatorum orabit ad te omnis Sanctus, id est, orabit te, vt ad te perueniat non propter aliud. Omnis sanctus, id est, omnis qui vult fieri Sanctus.* Carthusianus. *Pro hac re, id est, pro remissione peccati, orabit ad te omnis sanctus, id est, omnis viator quantumcunque perfectus.* Mitto alios.

CAP. IV.

An ratio euincat defunctos orare pro viuentibus.

I. EXhaustis Scripturæ autoritatibus, nunc suis argumentis pugnant. Primum esto a communione Ecclesiæ triumphantis cum militante. Nam 12. ad Hebr. Apostolus dicit nos accessisse ad Ecclesiam primitiuorum, qui sunt in cœlis, quo significatur nos esse illorum ciues, 2. ad Ephesios. Sed & 4. ad Galatas dicitur Hierusalem, quæ est in cœlis, esse mater nostra. Item 1 ad Colossenses, & 4. ad Ephesios, Christus esse caput super omnem Ecclesiam: vnde non excluditur Ecclesia cœlestis. Constat ergo esse quandam communionem fidelium qui sunt in hac vita cum iis qui in cœlo. At hæc communio exigit necessario, vt membra pro inuicem sollicita sint, & inuicem se iuuent. Hæc enim est natura membrorum sub vno capite viuentium, 12. ad Romanos, & 12. prioris ad Corinthios. Itaque falsum est, quod Caluinus asserit lib. 3. Institutionis, c. 20. segm 24. Deum voluisse, vt nullum nobis esset commercium cum sanctis mortuis: Sed nec illis nobiscum. Nam id quomodo verum esse potest, si sumus vna respublica, vnus populus, vnum corpus?

II. Respondeo certissimum esse, communionem quidem summa connecti triumphantem Ecclesiam cum militante. Nec sane vnquam id Caluinus negauit: aut quisquam negare potest, cui illi sint cogniti Scripturæ loci qui sunt indicati, aliique multi qui in eam rem colligi possunt. At negauit Caluinus commercium. Ita sane, inquam: neque enim commercium est omnis communio: sed illa tantum quæ est in singularium rerum vltro citroque communicandarum facultate: qualem necesse est concedi, si detur Sanctos inspicere res nostras singulas. Sed communio tam longe patet, vt communionem habere possimus cum iis, quibuscum tamen nullum est commercium. Ac sanctorum quidem communio consistit in altissima illa coniunctione, quam omnes habent in Christo capite vt sint tum eius, tum alij aliorum membra. Itaque recte Apostolus dixit nos accessisse ad conuentum & Ecclesiam primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis, ad Hebræos 12, Et ad Ephesios 1. recollecta esse in Christo omnia, tum quæ in cœlo sunt, tum quæ in terra.

III. Verum his concessis negatur consequentia. Negatur etiam hanc communionem exigere necessario, vt se membra inuicem iuuent. Nam primo, si hoc est necesse, tum nulla est inter ipsos, qui iam beati sunt, in cœlis communio. Non enim opinor, ipsi inter se alij pro aliis orant. Secundo, exigua ac vix dimidiata esset inter nos & illos communio Nos enim non possumus eos vicissim iuuare. Ac proinde longe arctius communicarent Iesuitæ qui nunc sunt, Carthusianis; quam suo Ignatio. Quia cum inter Iesuitas ac Carthusianos tanta sit communio, vt etiam sit mutuum meritorum commercium: sic enim audio conuenisse; vt illi suas contemplationes istis: isti rursus suas actiones illis impertiant: tum vero Iesuitæ Ignatij quidem forte iuuantur precibus, etsi non videtur; vtpote cum sit tantum beatitudinis candidatus: nondum autem Sanctus: quia nondum habuit Iouem Tarpeium propitium. Sed vtrumque concedamus nunc Ignatii sui precibus Iesuitas iuuari: at certe Ignatius nullis Iesuitarum precibus, aut meritis iuuatur. Tertio, nequidem inter omnes fideles viuos esset communio: quia certum plerosque pleisque prorsus incognitos; ac si nusquam essent.

IV. Quæ cum ita sint, sine dubio sequitur non esse hæc iuuamenta, vbicumque est communio: etiamsi vbicumque illa sint, communionem esse verum sit. Quemadmodum igitur fideles, qui sunt in extrema Hispania, ab huiusmodi commercio mutuo cum iis qui sunt in vltima Germania, excusat locorum conditio, imo & propriæ vitæ status: ita sine dubio ineptus sit, qui à nobis longe semotos in cœlum, iisdem velit commercij legibus subiicere cum iis qui eiusdem vrbis municipes sunt: præcipue nullo Dei verbo fretus. Sumus igitur nos quidem alij aliorum membra: sed hic, vt alibi, valeat axioma, omnium membrorum non esse eandem operationem: ideoque nec sequatur, quia officium sit fidelium in hac vita vt solliciti sint alij pro aliis, ita & aliorum, qui iam recepti sunt in cœlum: quemadmodum iniquum est, si quis concludat, ipsos Sanctos inter se eadem officia exequi, quæ nos præstamus inter nos.

V. Sed hanc quidem vnicam rationem Bellarminus habuit. Salmero longe plures, quasdam tamen ad sequens proxime caput pertinentes. Esto hæc igitur secunda: Si Christus interpellat pro nobis quatenus homo: ergo & Sancti. Antecedens patet. Probatur illatio. Quia Christus Sanctos sibi assimilat etiam in maioribus priuilegiis, quam in orando, quia facti sunt Lux, iudices, dij regnantes, assidentes, magistri, pastores. Ergo & in orando, ac interpellando conformes sibi reddet, in quo etiam viatores sibi facit similes.

VI. Respondeo, negari consequentiam. Nam, nec quia Christus saluat; etiam Sancti saluant: nec quia Christus remittit peccata: etiam Sancti remittunt peccata. In confirmatione: primo negatur consequentia. Etsi enim Sancti dicantur Lux, iudices, dij, & reliqua, tamen non dicuntur intercessores. Secundo, quod dicuntur Lux, iudices, dij, id fit ὁμωνύμως. Lux, quia lucem tulerunt. Iudices, quia secundum eorum doctrinam orbis iudicabitur; & sic de cæteris. At hæc intercessio in audiendis defendisque precibus; & quidem fiducia suorum meritorum; non esset ὁμωνύμως: sed vere συνωνύμως, etsi forte gradu inferior. Tertio, negatur priuilegia illa, ob quæ dicuntur Sancti, Lux, iudices, dij, esse maiora priuilegio intercessionis huius, quæ fit per merita. Nam eadem conceduntur etiam in hac vita. Denique hoc non quæritur, vtrum maiora sint minoraque priuilegia: sed vtrum hæc minora illis conuenire queant. Nec verum sibi viatores etiam Christum reddere similes in orando: quia viatores nulli orant, vt intercessores, vt confisi suis meritis.

VII. Tertia ratio: Si Angeli pro nobis deprecantur: Ergo & Sancti. Probatur Antecedens: Zachariæ 1. Angelus dixit, *Domine exercituum, vsque quo tu non misereberis Hierusalem & vrbium Iudæ, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est.* Tobiæ 12. Angelus dicit, *Ego obtuli orationem tuam Domino,* Matthæi 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est:* scilicet ad interpellandum, vt familiares & noti. Iob 33. *Si fuerit pro eo Angelus vnus de millibus* (siue Mediator Hebraice) *& annunciet hominis æquitatem, miserebitur eius: & dicet, Libera eum, vt non descendat in corruptionem, inueni in quo ei propitier.* Danielis 10. orat Princeps regni Persarum. Accedit ratio: Cum præcipuum bonum nostrum ex affectibus solius Dei in animo pendeat: principalis custodia, quam Angeli exhibent, est precari Deum, vt operetur. Iam probatur consequentia. Primo, quia Sancti erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Secundo, quia Sancti sunt nobis natura viciniores, suntque experti mala nostra.

VIII. Respondeo, argumentum esse verisimile. Non tamen necessarium. Nam primo, antecedens potest verti in dubium. Zachariæ locus visionem continet. At solenne est in visionibus res repræsentari, non vt sunt: sic in eodem loco, vidit Propheta insidentem virum equo rufo, qui tamen nullus erat. Itaque visiones huiusmodi nunqnam fidem faciunt rei sic gestæ ideoque solent per analogiam quandam exponi: & idem responsum esse ad locum ex Daniele. Tobiæ fabula nihil confirmare potest: quanquam neque ipsa docet Angelum orasse: sed tantum detulisse preces Tobiæ. Matthæi 18. vt abuti possit Salmero, supponit suo more quod probare debuit, videre Angelos faciem Dei, ad interpellandum: facilis huic viro victoria si sic omnia licent.

IX. Iobi 33. locus valde torquetur. Nam primo מליץ Mediatorem non significat: sed interpretem. Deinde nihil est in textu, vnde hic Angelus interpres dicatur apud Deum; sed potius apud ipsum hominem. Atque adeo pro *annunciet hominis æquitatem* Hebraice est *ad annunciandum homini rectitudinem suam.* Non vt annunciet Deo; quæ partes forte sint Mediatoris. Sed vt annunciet ipsi homini. Rursus. *Inueni in quo ei propitiet,* ne forte ita Salmero intelligat *inueni Mediatorem in quo propitiet;* scilicet Angelum illum: Hebraice est *inueni propitiationem.*

X. Ad rationem respondeo, non esse verum, principalem custodiam, quam Angeli nobis exhibeant, esse precari Deum. Quid enim si omnino hanc non exhibent? Quod nos saltem incertum esse docemus: & ita incertum, vt falso sit proximum. Scimus ex Scriptura Angelos dici commissos nostræ custodiæ: nimirum vt nobis adsint, & eruant expericulis. Itaque hanc dicimus esse præcipuam custodiam, quam nobis exhibeant. Quis enim credat, hanc tam certo explicatam, si non sit præcipua: & illam tacitam, quæ esset præcipua? Concedo præcipuum bonum nostrum ex effectibus Dei in animis nostris pendere: sed huic bono cur non possint inseruire aliter quam orando; aut si non possint aliter quam orando, vnde docet Salmero, hanc eis custodiæ speciem esse commissam? Et non ipsum potius Deum per se, absque vllius, præter Christum precibus, huic bono nostro intentum esse?

XI. In confirmatione consequentiæ: Sancti, inquit, erunt sicut Angeli Dei. Audio dictum à Domino: sed quum ageret de coniugio: negabat enim in vita æterna Sanctos ducere vxores: sed esse sicut Angelos: nempe non infinite; vt quæcumque Angeli faciunt, faciant & Sancti: & quæcunque de angelis dicuntur, dicantur & de Sanctis: sed tantum, vt quemadmodum angeli matrimonio non vtuntur: sic neque Sancti. Et ita explicat Franciscus Lucas, atque alii. At sunt nobis Sancti natura viciniores, expertique nostra mala. Fateor: sed quid inde conficitur? Non enim hoc solum sufficit. Intelligo non sine magno momento Apostolum id in Christo obseruasse: sed vicissim iubeo Salmeronem obseruare, Christum esse Pontificem. Esto igitur in Pontifice illud magni momenti: vt qui ex suo officio debet pro nobis intercedere, etiam expertus sit nostra mala. At in Sanctis etsi hæc sit ratio, at altera deest: non sunt enim nostri Pontifices.

XII. Quarta ratio: Sancti charitate multos angelos vincunt. At charitati tam repugnat esse otiosam, quam igni non esse lucidum. Si ergo gaudium est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, multo magis Sanctis. Et si angeli curant nos & nostra, curabunt & Sancti, vt pro se inuicem solicita sunt membra.

XIII. Respondeo, ex omnibus argumentis, quæ ad hanc rem afferri possunt, nullum mihi videri probabilius isto, ducto à charitate. Atque eo mihi facile persuaderi patior Sanctos defunctos in genere rogare pro viuentibus. Veruntamen nego ita certum esse, vt plene persuadeat. Et primo illud superari multos angelos à Sanctis charitate; aut ego vehementer fallor; aut est à camera Meditationum. Vnum scio, non esse à Scriptura: Itaq; tam facile irrideri, quam audacter proferri. Cæterum, esse gaudium in cœlis super conuersione vnius peccatoris, dixit Dominus de angelis: non dixit de Sanctis: & fortasse hi nesciunt quod angeli. Sed si sciunt, non dubitem etiam affici gaudio. Sed quid inde? Afficiuntur gaudio, ergo omnes. Negatur consequentia. Rursus, si angeli nos nostraq; curant: ergo & Sancti: negatur consequentia. Quia id angelis mandatum scimus, non Sanctis. Quanquam hac de re alias.

CAP. V.

Vtrum Sancti orent sigillatim.

I. IN altera quæstione, Vtrum Sancti pro nobis orent, non tantum in genere pro omnibus, sed etiam sigillatim pro indiuiduis: acrior erit controuersia. Nam, vt dixi, priorem quidem facile patiamur disputari in vtramq; partem: vt quæ contra fidem non sit, siue asseratur, siue negetur. Itaq; tantum hoc propositum fuit in ea disputanda, vt ostenderemus nulla argumenta adferri posse, vnde demonstretur affirmatio. Nunc vero omnino contendimus falsum esse, Sanctos orare sigillatim pro iis qui sunt in hac vita: examinemus argumenta: etiamsi nonnulla capite præcedenti fuerint à Salmerone prolata, à nobis etiam considerata.

II. Primum argumentum Papistarum: Si viui orant pro viuis, cur beati mortui id non facerent? Probatur antecedens Iacobi 5. *Orate alii pro aliis.* Sic Moses orauit, Exod. 17. & 31. Mulier Chananæa pro filia sua, Matt. 15. Centurio pro seruo suo, Luc. 7. Paulus tum pro iis qui secum nauigabant, Act. 27. tum pro Ecclesiis ad quas scribebat, vt constat ex variis eius Epistolis. Probatur consequentia: quia Sancti in cœlis sunt charitate perfectiores, & apud Deum potentiores, & mente puriores. Sic in Enchiridio Eckius & Costerus.

III. Respondeo, negari consequentiam. Nam de antetecedente habemus disertissima Scripturæ non exempla tantum, sed etiam præcepta. At de consequente neutra. Et exempli gratia; Si quis, quia viui tum præcepto, tum exemplo eleemosynam præbent, idem concludat etiam de Sanctis, quorum perfectior est charitas, quis non rideat? Et omnino sic credo Druidas argumentatos, cum in altero seculo æra dispungi sperarent: quia id iustitiæ est, quam in eo seculo nullam esse quis dicat? Itaq;, vt Druidibus, quanquam in illo seculo amor iustitiæ sit maior, quam in isto: tamen in illo dispungi æra; quia id non fert eius seculi conditio: sic Papistis responsum esto, quamuis post mortem Sancti longe confirmatiores sint in charitate, tamen eos pro nobis non orare; quia id non ferat eius vitæ conditio: vt postea probabitur.

IV. Secundum argumentum Bellarmini est, & Costeri: quia constat Sanctos, in cœlis regnantes cum Christo, hæc terrena curare & administrare. Probatur. Psal. 45. *Constitues eos principes super omnem terram.* Psal. 149. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictã in nationibus increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum. Gloria hæc est omnibus Sanctis eius.* Et Apocal. 2. *Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo.* Matth. 24. *Beatus ille seruus quem cum venerit Dominus, inuenerit sic facientem: Amen dico vobis super omnia bona sua constituet eum,* Luc. 19. *Euge serue bone, eris potestatem habens super decem ciuitates*: & alii, *eris super quinque ciuitates.*

V. At Catholici negant Sanctos cum Christo regnantes hæc terrena curare, à quibus erepti sunt in sempiternam gloriam. Omnes autem hi loci perperam citantur. In Psalmo 45. ad literam Epithalamium continetur nuptiarum Salomonis: cui promittitur fœcunditas, in multitudine filiorum: sed & gloria, in eorum potentia. Itaq; phrases sunt omnes accõmodatæ ad vsum Regum. Allegorice autem intelliguntur nuptiæ spirituales Christi & Ecclesiæ, ex omnibus gentibus componendæ. Primo igitur constat, locum esse allegoricum: itaq; non probare nisi clarioribus confirmatum & illustratum. Et statuant semel apud se, quomodo hunc Psalmum interpretentur. Ad literam ne, an allegorice. Si ad literam, nihil ad Sanctos, siue viuentes, siue mortuos: sed ad filios Regum. Nihil etiam ad orationem, intercessionemve: sed ad magnificentiam Regiæ stirpis, quæ suæ ditionis terminos longe lateque erat ampliatura: in allegorice, primo ostendant, cur filios intelligant Sanctos defunctos: secundò, illud constituere principes, quam ob causam significet è cœlis procurare humana negotia.

VI. Præterea notent hũc locum à nemine vnquam in eum sensum fuisse intellectum, exceptis his postremis temporibus: cum confirmatissimæ fuit Papistarum idololatria. Veteres autem longe aliter filios Apostolos & Episcopos principatum super terrã, id est, autoritatem administrandæ Ecclesiæ accepisse, dum essent in terris, Arnobius seu quis alius, *Pro duodecim Patriarchis nati sunt Deo filij alij duodecim, quos constituit principes Iesus super omnem terram, memores nominis sui in omni gente, cum eis diceret, Baptisate omnes gentes.* Ruffin. *Genuerunt te Apostoli: ipsi missi sunt, ipsi prædicauerũt, ipsi sunt patres, ipsi sunt recepti in gloria, & loco illorũ nati sunt filij, constituti sunt episcopi. Constitues eos, id est, stabiles facies in fide & opere principes, magistros & doctores.* Hierony. siue potius Beda, *Fuerunt ô Ecclesia, Apostoli Patres tui, quia ipsi te genuerunt. Nunc autem, quia illi recesserunt à mundo, habes pro his Episcopos filios, qui à te creati sunt. Sunt enim & hi Patres tui, quia ab ipsis regeris.* Et post, *Constituit Christus Sanctos suos super omnes populos. In nomine enim Dei dilatatum est Euangelium in omnibus finibus mũdi, in quibus principes Ecclesiæ, id est, Episcopi constituti sunt.* Sic alii. Theodoretus paulo quidem aliter. Nam & Apostolos tantum intelligit & martyres, eosque principes etiam post mortem. Sed is principatus nihil ad Papistas. Recito verba, *Diuini Apostoli cum Patres habuerint Patriarchas, terra marique etiam post mortem dominantur, veluti quidam principes & duces à Christo omnium Rege constituti, & qui post illos sequuti sunt, quos qui vellet Ecclesiæ filios nominare, non erraret: illi, inquam, triumphatores martyres præfecti sunt, vt idem imperium gubernent, & omnes homines habeant subditos.* Quid hæc sibi velint, doceat Euthymius. *Filij vero Apostoli qui in dignitatem parentum Christi suffecti sunt: effecti nimirum & ipsi Patriarchæ ac plurimarum gentium Patres, quas per baptismum sibi genuerunt. Qui etiam digni habiti sunt: vt Spiritus gratiam reciperent: vtque veluti quidam eximij duces in vniuersum orbem terrarũ mitterentur. Euntes, inquit, docete omnes gentes. Nec tantummodo dum viuunt, principatum hunc tenuerunt, sed etiam post mortem: eorum enim præcepta ac monitis, vbique gentium fideles obtemperant, atque ab eis diriguntur.* Nec dissentit Lombardus, neque Ayguanus, non Bellarminus, *qui nati sunt tibi filij, id est, inquit, Apostoli & discipuli Christi, qui tanta excellentia erunt, vt orbi leges dare possint: ideo constitues eos super omnem terram. Vere enim Apostoli primi Ecclesiæ Filij, toti orbi terrarum leges dederunt, quod nullus temporalis monarcha facere potuit.* Non denique Lorinus, *Hinc intelligitur, inquit, perpetua successio Pontificum, & prælatorum legitime electorum, ordinatorumq; in Ecclesia Dei. Deinde principatum ac regimen Ecclesiæ, non pertinere ad laicum magistratum.* Iansenius ab iis non recedit. Fuerunt ergo dum viuerent principes in Ecclesia, quam optimo iure administrabant: sunt etiam post mortem, quia eorum doctrina eadem auctoritate perseuerat: & æque auditur hodie in Ecclesiæ administratione, Petrus dixit, aut Ioannes, aut Paulus, ac olim. Sed hic sensus, tam longe abesta Papistis, vt frustra sit admonere.

VII. In Psalmo 149. de Sanctis defunctis verbum nullum. Nam primo חסידים nominantur, quod vocabulum nihil habet quod proprie referatur ad eos tantum, qui sunt vita functi. Imo vix vnquam dictum nisi de his, qui in hac vita vel obtinuerunt à Deo misericordiã: vnde hoc loco Tremellius reddidit eos *quos benigne accipit:* vel forte de iis qui misericordia mouentur in fratres suos. Psalm. 12. *Quia defecit* חסיד *Sanctus.* Et 31. *Amate Dominum omnes Sancti eius.* Et 51. *Congregate illi Sanctos suos:* mitto plurima. Ergo, id tritum est in Psalmis, vt eo vocabulo significentur ij sancti, qui in hac vita sunt positi. Deinde in toto hoc Psalmo id nomẽ bis tantum reperitur, semel vers. 1. *Cantate Domino canticum nouum: laus eius in congregatione Sanctorum.* Et iterum vers. 5. *Exultabunt Sancti in gloria.* Vbi nego quicquam esse causæ, cur nõ iidem vtrobiq; sancti intelligantur, maxime cum statim subiiciatur, *in cubilibus suis.* Nego etiã obstare quicquam, quominus vtrobiq; imperandi modus retineatur. Et quemadmodum ab initio dictum est; *Lætetur Israel, & laudent nomen eius:* Ita & deinceps *exultent Sancti in gloria:* vel vt Tremellius: *Gestiant benigne accepti pra gloria:* & Tigurini haud aliter: sed & Veteres nulli Papistis sua expositione præiuerunt, qui etsi varie tamen de sanctis viuentibus omnes vno consensu. Mortuos nemo, vel per somnium, imaginatus est: sed & qui de sanctis prorsus aliud cogitarunt. Ayguanus & Bellarminus retulerunt ad diem postremi iudicij, & id quod pollicitus est Christus Apostolos secum sessuros, iudicandis duodecim tribubus Israelis. Iansenius, *In sensu mystico oportet intelligere gladium Spiritus, quod est verbum Dei & potentiam resecandi putrida membra à puris: deinde & potestatem indiciariam & vindicatiuã, qua in nouissimo iudicij die cum Christo Sancti hunc mundũ iudicabũt.*

VIII. De Apocalypsi quid dicam? Primum illud quale? quo Veterum nullus est qui odoratus sit istam rerum terrenarum procurationem defunctis commissam? Et certe habet aliquid absurdum: duplicem ob causam: loquitur enim de præmio quo afficiendi sunt fideles, qui in exantlandis laboribus constantiam retinuerunt vsque ad finem. Primo ergo verisimile est id expressum, quod in eo præmio maximum. Ridiculũ vero, si post tot tantasque & luctas & promissiones, nihil maius sit in beatitudine fidelium, quam hæc minuta nostra curare: & vt Papistice loquar, porcos custodire, equos sanare, febrim pellere, sartoribus, tutoribus, carminatoribus adesse. Deinde hoc præmium oportet esse vniuersale, id est, quo omnes ij potiantur, qui ad finem perdurabunt. Quod patet ex comparatione similium sententiarum in eodem capite. *Victori dabo edere de arbore vitæ quæ est in medio paradisi Dei, Victor non lædetur à morte secunda. Victori dabo edere ex manna illo abscondito.* Atque hæc procuratio non potest esse omnibus communis. Nam saltem eos excipi oportet, qui erunt ad consummationem seculi: tum quæ humana, quæso, procurabuntur? quis pascet equos, aut equos? quis lanæ, ac proinde sartorũ, carminatorumq; vsus?

IX. Veteres variant. Sunt qui *hæc præmia considerent in ipsis fidelibus, sed alij in hac vita.* Rupertus, *Dabo illi potestatem super gentes: id est, mea ordinatione fiet magister eorũ, qui si absq; magisterio sint, gentes sunt, i. e. gentiliter viuunt: Et reget illas in virga ferrea, i. e. recta, ac seuera iustitia disciplina. Audi. Dabo et potestatẽ & in hoc seculo: quia possunt eos gentiliter viuentes excommunicare*

ſilitare, & æternaliter damnare: & reget illos in virga ferrea, id eſt, iuſtitia inflexibili, & tanquam vas figuli confringentur, quidam vt pereant, quidam vt melius vas fiant.* Sed hi non videntur ſatis attendiſſe, ſermonem haberi de eo præmio, quod poſt abſolutam in laboribus conſtantiam in fine, id eſt, poſt liberationem ex hac vita reportaturi ſunt fideles, quæ ratio torſit illum, quiſquis eſt, Ambroſium, qui ſoluens, *Omnia*, inquit *quæ ſecundum diſpoſitionem Dei fienda ſunt, in prædeſtinatione eius; iam quaſi facta exiſtunt.* Durius illi melius qui ad futurum ſeculum, Andreas Cretenſis, τοῦ ποιοῦ, φησὶ, τὰ ἔργα μου, δώσω αὐτῷ ἐξουσίαν ἐπάνω πέντε ἢ δέκα πόλεων, ὡς ἐν τῷ εὐαγγελίῳ εἴρηται. ἢ διὰ τούτου, καὶ τὴν τῶν ἀπίστων κρίσιν αἰνίττεται. δι' ἧς οἱ πεπλανημένοι, ὡς ἐν ῥάβδῳ ποιμαινόμενοι συντριβήσονται. ὑπὸ τῶν ἐν αὐτοῖς τῷ Χριστῷ πεπιστευκότων κρινόμενοι *Qui opera mea fecerit, inquit, dabo ei poteſtatem ſupra decem aut quinque ciuitates ſicut in Euangelio dictum eſt, vel per hoc etiam illud infidelium iudicium innuitur, quo ſeducti tanquam virga coerciti conterentur ab iis iudicati, qui inter eos Chriſto crediderint.* Et accedit Sa, *Dabo illi, quaſi dicat. Faciam mecum imperare; ſcilicet ex capite Chriſto & membris vnum corpus conſtat, totumque regnabit.*

X. Verum alij illam eandem poteſtatem conſiderant non in ipſis fidelibus, ſed in Chriſto reſidentem, factam tamen etiam fidelium propter vnionem membrorum cum capite. Primaſius: *In Chriſto habet Eccleſia hanc poteſtatem, tanquam corpus in capite. Si qua enim digna corpori eius adhæſerit veraciter habere dicitur, quod Filius hæreditario iure poſſedit: in quo ſecundum Apoſtolum nobis Deus omnia donauit.* Haimo, *Illam poteſtatem, quam in tempore Chriſtus homo factus accepit à Patre electis ſuis ſe dare promittit: ſed in ſe in quo totum regitur corpus: & cui totum Eccleſia adhæret corpus. Cum enim ipſe ſit caput electorum, electi vero membra illius: quod ipſum caput habet, hoc membra illius hereditario iure poſſidere videntur.* Neq; ab iſtis diſcedit Ambroſius Auſbertus. Quanquam videatur hæc etiam expoſitio paulo alienior: quia in Chriſto hac ipſa poteſtate fruuntur omnes Sancti dum ſunt in terris: neque enim deſinunt eſſe eius membra.

XI. Sed quæcumque tamen obtinebit interpretatio, ea nihil ad hanc curam rerum terreſtrium. Nam, ſi in hac vita poſiti fruantur fideles hac poteſtate, longe abit argumentum ab hac controuerſia: quandoquidem nemo noſtrum negat in hac vita poſitos orare alios pro aliis. Sin autem eſt, non in fidelibus ſed in Chriſto: tum nihil ad preces: nam harum ius faciendarum ſingulis ſigillatim Papiſtæ tribuunt. Si denique pertinet ad vitam futuram, & eſt præmium vitæ bene actæ, tum oportet eſſe æternum, & ea cura rerum terrenarum æterna eſſe nequit: non enim in æternum futuræ ſunt hæ reculæ: atque adeo tum ceſſabunt penitus, cum maxime intendendum ſperamus præmium.

XII. Sed Bellarminus inquirit in tempus, quo conferendum eſt huiuſmodi præmium. Ante, an poſt reſurrectionem vniuerſalem. Et docet conferendum ante Argumentum: Quia, *Reges eas in virga ferrea*, non ſignificet punire, quod etiam poſt reſurrectionem fiet: ſed regere virga paſtorali, quod ſolum fit ante reſurrectionem, & probatur primo ex Pſalmo ſecundo תרעם: & Apocalypſis 12. & 19 ποιμανεῖς *paſces*, ſiue paſtoraliter reges. Secundo ex Apocalypſeos 12. *Peperit Filium, qui recturus eſt omnes gentes in virga ferrea*: & tamen Chriſtus non punit omnes gentes, ſed regit paſtoraliter. Tertio, quia Pſalmo 2. vnde ſunt deſumpta hæc Ioannis verba, dicitur totam ſuam hæreditatem regere in virga ferrea; cum tamen Eccleſia non ſit à Chriſto deſtruenda. Quarto, quia ſic exponunt Hilarius, Auguſtinus, Theodoretus, in Pſalmum 2. Primaſius, Beda, Rupertus in 2. Apocalypſis. Hæc cum ita ſint, (inquit) ergo ſpiritus hominum beatorum poſt mortem & ante diem reſurrectionis accipiunt poteſtatem in gentes, regunt, ac paſcunt eas.

XIII. Reſpondeo hæc eſſe inania. Nam Pſalmo ſecundo תרעם non eſt paſcere, nec regere paſtoraliter; ſed comminuere, conterere, & frangere, vt vertit Hieronymus. Vicinitas tamen impoſuit Græcis qui verterunt ποιμανεῖς, vt alia multa non bene.

XIV. At Apocalypſeos 12. & 19 eadem phraſis vſurpatur, vt ſignificet *punire*. Manifeſte quidem in 19. *Ex ore*, inquit, *eius prodibat gladius acutus, vt ex eo percutiat gentes: ipſe enim reget eas virga ferrea. Ipſe enim eſt qui calcat lacum vini furoris, & iræ Dei omnipotentis.* Nam, quid erat opus meminiſſe furoris & iræ Dei, ſi in paſtorali regimine non eſt punitio? In 12. autem, ſufficit nullo abſurdo poſſe confutari hunc ſenſum, quo pœna ſignificatur: Etſi gentium nomen id indicat: nam nominantur pro infidelibus ex Iudæorum idiomate: infideles autem quis neſcit regi à Chriſto puniendo? Itaque falſum eſt ſecundum argumentum? Itemque tertium, quia non dicitur Chriſtus totam ſuam hæreditatem regere in virga ferrea, ſed tantum gentes: Alioqui; quam abſurde diceretur confringere Eccleſiam.

XV. De Patribus non ſunt multa dicenda In Pſalmo ſecundo dubitari non poteſt, quin à ſcopo Prophetæ aberrarint Hilarius, Auguſtinus, Primaſius, Beda, & Rupertus. Vidit Theodoretus: itaque etſi non omiſit aliorum ſententiam, tamen ſuam prætulit de Iudæis per Imperium Romanum conterendis.

XVI. Quid ergo? nempe *paſcere virga ferrea*, μεταφορικῶς intelligendum, pro autoritate poteſtateque ſumma, cui reſiſtere non valeant infideles, qui potius conterantur, æque ac vaſa lutea Quæ autoritas conferenda eſt Sanctis, poſt mortem quidem: ſed non ante reſurrectionis diem: in qua illi ſeſſuri ſunt cum Chriſto, vt cum eo iudicent impios & rebelles.

XVII. Quæ citantur è 24. ſecundum Matthæum, *conſtituet eum ſuper omnia bona ſua*, nihil habent difficultatis. Anſelmus interpretatur de æternis præmiis. *Non vt ſolus*, inquit, *ſed vt præ cæteris habeat æterna præmia tum pro ſua vita tum pro gregis cuſtodia.* Euthymius de magno honore, *In magnum honorem conſtituet eum, vt bonis ſuis dignum ducat illum. Tu vero huiuſmodi ne vlterius curioſe ſcruteris.* Theophylactus, ὁ τοίνυν εὑρεθησόμενος, πιστὸς καὶ φρόνιμος ἐκεῖνος καὶ τῶν τελειοτέρων ἐπιτεύξεται. λέγω δὲ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. πάντων γὰρ τῶν ὑπαρχόντων τῷ Θεῷ κληρονόμοι ἔσονται ἅγιοι. *Qui ergo tunc deprehendetur fidelis & prudens, ille perfectiora aſſequetur. Regnum, inquam, cœlorum. Quæcunque enim bona habet Deus, eorum heredes erunt Sancti.* Quid hæc ad controuerſiam noſtram? aut quomodo inde ſequitur defunctos curare hæc mortalia?

XIIX. Nec operoſior ſolutio verborum ex Lucæ 19. Nam quia Chriſtus regni cœlorum myſteria tractabat παραβολικῶς, abſurde faciunt qui ad literam interpretantur. Quin potius agnoſcant Chriſtum, inſeruiſſe parabolæ & non tantum regem & regionem longinquã, & decem ſeruos, & talenta, ſiue minas, ſed etiam ciuitates nominaſſe more humano: non ſtatim & repente deſerta allegoria deſilire ad propriam loquutionem. Itaque interpretes ſimpliciter intelligunt de æterna fœlicitate, in qua habituri ſunt aliquid eximium ij, quorum opera vſus erit Deus in docenda administrandaq; Eccleſia. Lyra, *Gaudebis de fœlicitate omnium qui per tuam doctrinam vel exemplum vitæ tuæ conuerſi ſunt ad bonum.* Euthymius: *Per poteſtatem ſupra decem ciuitates, variam beneficij magnitudinem ac honorem demonſtrauit.* Theophylactus, ὅ ἐστι πολλαπλασίους τὰς ἀμοιβὰς δέχεται: *Id ſignificat multiplicata præmia recipi.* Hi omnes admonent ita interpretandum locum, vt quemadmodũ per decem minas, nullam intelligimus pecuniarum adminiſtrationem à Deo vlli tradi in procuratione Eccleſiæ: imo quicquid eſt minarum talentorumve, relinquimus ſuis Regibus regniſq;: Ita in præmiis diſtribuendis, ſuis regibus ſuas ciuitates permittamus pro arbitrio diſtribuendas: in cœleſte gaudium non ingeramus: ſed μεταφορικῶς intelligamus varios fore præmiorum gradus: quiquidem varii eſſe poſſunt abſque vlla terreſtrium rerum procuratione.

XIX. Tertium argumentum ſumitur ab Angelis. Hi orant pro nobis, & curam noſtri gerunt etiam in ſpeciali: vt Iobi 33 Tobiæ duodecimo, Zachariæ 1. Apocalypſe. 8. Danielis 10 Pſalmo 91. Matthæi 18. Ergo multo magis id ſpiritus hominum beatorum faciunt. Nam in primis nihil eis deeſt eorum quæ Angeli habent, quantum ad hoc munus pertinet, cum ſint præditi intelligentia, & voluntate, & adſint ſemper Deo, & nos vehementer diligant, ac demum ſint æquales Angelis, vt dicitur Luc. 20. Deinde aliquid habẽt præ Angelis: quod ſint membra corporis Eccleſiæ nobis magis coniuncta quam ſint Angeli, & experti ſint miſerias & pericula noſtra, quæ Angeli non ſunt experti.

XX Reſpondeo, Angelos noſtri curam gerere ſimpliciter, neque verum eſſe, neque falſum, ſed cum diſtinctione: noſtri enim curam gerere intelligi poſſunt, vel apud Deum, nempe vt quæ ſalutem noſtram ſpectant, ea promoueant apud Deum puta ſolicitando, vt ita dicam, & procurando: vel alio modo exequendo Dei decreta & mandata. Hoc poſteriori modo libentes concedimus, Angelos, noſtri etiam ſigillatim curam gerere, & inde appellari λειτουργικὰ πνεύματα, & mitti miniſterij cauſa propter eos qui heredes futuri ſunt ſalutis, ad Hebræos primo. Ipſum etiam nomen, tum Hebraice מלאך tum Græce ἄγγελος, non ab alia etymologia. Denique plenæ ſunt Scripturæ exemplis in eam partem: Sed & Danielis 10. nominantur Principes, & Matthæi 18. Angeli paruulorum: & Pſalmo 91. cuſtodientes hominos in omnibus viis eorum.

XXI. Sed de priori modo non æque liquida res eſt: Certe Athanaſius in dubio relinquit, ſiue quis alius autor eſt libri de communi eſſentia Patris, & Filij, & Spiritus, τί τὸ ἔργον τῶν ἐπουρανίων δυνάμεων ὑπάρχει; ὕμνος ἄληκτος, ἔρως ἄπαυστος τῆς μεγαλοπρεπείας τοῦ Θεοῦ· τάχα δὲ καὶ δεήσεις ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν. *Quodnam eſt opus cœleſtium poteſtatũ? Hymnus nunquam remittens, & amor nunquam ceſſans Diuinæ Maieſtatis: forſan etiam preces aſſiduæ pro noſtra ſalute.* Audin? Nam profecto procuratio noſtræ ſalutis apud Deum non poteſt, non in precibus eſſe. Hæc igitur ſaltem incerta eſt, huic ſi fides autori habenda eſt.

XXII. Nos pronunciauimus, nunquã nobis Angelos deſcribi in Scripturis, noſtri curam gerentes apud Deum. Nec contra probant loci ab aduerſariis prolati. Nam qui ex Danielis decimo, & Pſal. 91. & Matth. 18. ij vt iam monuimus, pertinent ad procurationem poſterioris modi.

XXIII Iobi verbis abutuntur tranſſumptis ex corruptione Latina, de qua quanquam actum eſt paulo ante, tamen nunc plenius. Latine igitur, *Si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus, vt annunciet hominis æquitatem, miſerebitur eius.* Quæ quiſquis legit, nihil concipit aliud, quã Angelum aduocatum pro homine laudantem apud Deum ſui clientis iuſtitiam, vt ab irato Deo extorqueat, vt ita dicam, miſericordiam: magno Papiſtarum plauſu. Nam & Sa confidenter, *Annunciet*, inquit, *ante Deum*; Et Carthuſianus, *Deo præſentet & offerat iuſtitiam ægri & peccatoris.* Atqui Hebraice longe aliter. *Si fuerit ei*, vel *pro eo, Angelus interpres vnus ex mille ad denunciandum homini rectitudinem eius.*

XXIV. Vnde conſtat primo non agi de precibus. Nam מליץ non ſignificat id officium: ſed aliud quod in interpretando verſatur, ſiue in referendis mandatis. Deinde non deſcribi officium, quo quis fungatur apud Deum. Vt grauiſſimum ſit Latini interpretis peccatum, qui dixit, *annunciet hominis æquitatem*: cum debuerit, *annunciet homini æquitatem ſuam*: eſt enim להציד לאדם ישרו Paraphraſtes Chaldæus, *Si eſt in eo meritum, præparatur angelus vnus de mille accuſatoribus, vt annunciet Filio hominis rectitudinem eius.* Vbi ישרו ambiguum eſt, quia referre licet vel ad hominẽ, reciprocate, vt ſit *rectitudinem ſuam*: vel ad Deum rectitudinem eius. Et vix intereſt, vtrum eligas. Senſus erit facilis: Si homini attrito ex ſenſu peccatorum (talem enim deſcripſerunt verſus præcedentes) quiſquam, ſiue angelum velis, ſiue hominem (nam Hebraicum מילאך generaliter nuntium, quemcunq; ſignificat, ſiue corporeum, ſiue ſpiritum) annunciet rectitudinem, ſiue ſuam, id eſt, quam ſi habeat, rectus ſit, ſiue eius, nempe Dei, puta imperatam à Deo; tum fore vt Deus miſereatur hominis, nimirum propter conuerſionem. Hic autem ſenſus quid ad procurationem apud Deum? Longe melius procurationem apud nos, id eſt, poſterioris generis.

XXV. Tobiæ narratio μῦθος eſt γραώδης, anilis fabula, nec pie cogitata, nec artificioſe contexta. Deniq; totus liber Apocryphus, vt ſuo loco diſputatum. Quid ergo ille nos diutius moretur?

XXVI Qui Angelus Apocal. 8. habebat thuribulum aureum, cuique dati ſunt ſuffitus multi, vt offerret cum precibus Sanctorum ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum: hic, inquam, Angelus Chriſtus eſt, non vero τῶν λειτουργικῶν τι πνευμάτων. Sic enim interpretati ſunt Primaſius, Haymo, Ambroſius, Gloſſa interlinearis, Rupertus diſerte lib 5. in Apocalypſin. *Venit*, inquit, *Angelus, & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum, in manu ſua.* Angelum eſſe Chriſtum Dei Filium, Angelum, id eſt,

nuntium magni consilij, hunc esse, vel dici, non solum prophetica, verum etiam legalis autoritas adstruit.

XXVII. Zachariæ primo describitur visio & quidem nocturna, in ea vnus Angelus orans, *Domine exercituum, vsq; quo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda quibus iratus es?* At non solent in visionibus res nudæ repræsentari, aut absq; inuolucro. Itaq; nihil cogit rem omnino ita gestã, vt Angeli nihil aliud significẽt, præter spirituales illas naturas. Quomodo nec virum vllum inter myrteta, quisquam virum ψιλὸν asseruit, aut equos etiam nihil nisi equos. Quare argumenti vis esse potest nulla, nisi quantam adstruent alia argumenta.

XXIIX Hactenus de antecedente, vnde, quam infirma sit consequentia, quis non videt? Nam si falsum Angelos nostri curam gerere apud Deum; certe ne Sanctos quidem quisquam concludere poterit. Nõ enim ab antecedẽte falso verum elicias consequens. Sin autẽ agere nostri curam Angelos exequutioni mandando decreta Dei cõcedamus, at certe consequentia negabitur. Primo, quia dissimilia cõcludantur: nam hæc cura, in cuius disputationem Papistæ incurrerunt occasione intercessionis, nõ est eius generis cura. Deinde, etiam si concluderetur eiusdem generis cura, consequens patet esse manifesto falsum: quia Angeli in mundum veniunt apud nos huius curæ caussa, non sancti; quos à suæ quietis loco nulla Scriptura testatur recedere.

XXIX. Et vero consequentiæ confirmationes palam sunt ineptæ. Habent Sancti intellectum, voluntatem, amorem, cum Angelis: plus etiam quam Angeli experimentum miseriarũ: nego tamen habere omnia quæ Angeli habent, ad eius curæ munia obeunda. Non enim habent munus Angelicum: non sunt λειτουργικὰ πνεύματα. Itaq; quod pares Angelis Christus esse pronunciauit, non ἁπλῶς intelligendũ, sed κατά τι. Vt taceam dictum esse de Sanctis post resurrectionem, cum tamen nemo sanctorum vllas res terrenas curaturus est: vnde patet τῆς ἰσαγγελίας nulla eam parte esse: nam si esset, tum profecto hac desinente, desineret ipsa ἰσαγγελία cõtra hypothesin. Magis esse nobis coniunctos sanctos, q̃ Angelos, verum est, si addas natura: nam magis cõiunctos præsentia falsum: quia sancti nec sunt vbiq;, nec è cœlis recedunt, & ad nos veniunt, vt Angeli. Certe Zachariæ propinquior, id est, secundum præsentiam coniunctior erat Gabriel, quum ex altari alloquebatur eum, quam Abrahamus. Atqui ad hanc curam minutarum rerum nostrarum, siue procurationem secundi generis coniunctio præsentiæ requiritur, magis quam naturæ: vt patet ipso Angelorum exemplo.

XXX. Quartum argumentum habeo ex Petro de Bollo in authentica probatione Christiani sacrificij ex Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Item sexto. *Date & dabitur vobis. Mensuram bonam confertam & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinu vestro.* Quomodo remetietur gratum munus eleemosynæ diuitis, impensæ pauperi, qui statim eo accepto moritur, nec pinguioris fortunæ experitur fauorem, nisi orationis & precum fauore? Vbi fœnerabuntur locupletes illos misericordiæ cõcessæ fructus: præsertim, si Lazari instar pro foribus diuitis auari suscepta eleemosyna illico commoriantur? Creditum illud æs soluitur vere in futura vita, & remetitur merces & gratia illa in cœlis, vbi cœlestes adepti thesauros suis suffragiis & precibus nobis opitulantur, adeo vt ingenti cum fœnore caduca & terrestria ista beneficia pusilla videbuntur tantæ gratiæ pretio.

XXXI Nempe igitur supponit perire fructum eleemosynæ, si non accipiatur ab iis in quos elemosyna est collata. Atqui contra est doctrina Christi Lucæ sexto. *Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa.* Toletus, *Benefacite etiam iis à quibus nulla referenda gratia expectatur.* Et post in annotat. *Diligite inimicos, non vt vos diligant, sicut benefacite hominibus, ac mutuo date, non vt similibus vos beneficiis prosequantur.* Quare non est consequens amittere suam mercedem qui dat eleemosynam, nisi ille reddat, qui accepit. Et vero illud, *dabitur vobis* non referendum ad eos qui acceperint, sed ad Deum. Toletus, *Promissio fit dantibus. Qui enim misericordes & benefici erga alios sunt propter Deum: his Deus misericordem ac beneficum se exhibet: sic enim Deus homines diligit, ac mutuo seipsos diligere cupit, vt omnibus, qui aliis ipsius gratia beneficia impedunt, ipse rependat: tantaq; promissione ad dandum inuicem excitet & alliciat.* Et paulo post, ad illud *mensuram dabunt, hac mensura plena & perfecta est: talem Deus certissime reddet: nam perfectissima mercede cumulabit non iudicantes, non condẽnantes, dimittentes, & dantes.*

XXXII. Postremum argumentum est ab autoritate Patrum; qui sanctis apud Deum agentibus nostri curam commendarũt suis scriptis. De quibus respondeo, ante Cypriani ætatem nullum extare vestigium huius traditionis: quod Martinus Peresius agnouit, estq; ingenue confessus parte 3. de Traditionibus, consideratione 7 addita etiam causa, modestia & humilitate Apostolica, ne de se magna præsumerẽt, & quasi Deos facerent; quodq; essent toti intenti prædicationi & diuulgationi Euangelii, & aliarum rerum quæ magis ad substantiam salutis attinebant.

XXXIII Quæ confessio totum hoc negotium conficit. Nam primo, constat ab initio, non sic fuisse. Magnum falsitatis argumentum. Secundo, si hanc partem doctrinæ, Apostolorum nemo tradidit, cuiusnam id ius esse potuit? Tertio, si hæc Apostolorũ fuit humilitas, & modestia, certe eos, qui apud Papistas finguntur se ipsos mediatores obtulisse, imo à Deo id officium postulasse, necesse est longe diuerso genio impulsos fuisse. Quinimo, quis credat modestiam, humilitatemq; nunc à beatorum cœtu adeo exulare, vt qui viuentes de se noluerint alta sentire: nunc, apud Deum beati, cœperint omnes ad se conuertere: & quod caput est, collegas sese sui capitis Christi ostentare? Denique noluerunt, inquit, sese quasi Deos facere. Optime. Hæc igitur cura rerum humanarum, quam Sanctis Papistæ tribuunt, Sanctos quasi Deos facit. Eant nunc Papistæ, & suorum sanctitatem iactent dogmatum. Ea Sanctos, si non Deos, certe quasi deos facit. Atqui Lucifer, non se Deum constituebat, sed similem altissimo, id est, quasi Deum.

XXXIV. Cum igitur ab initio magnum esse inter Christianos de hoc capite silentium, tandem priuati quidam affectus prodiderunt se: inde paulatim sequuta priuata iudicia: quę vt sit latius vagata, tandem doctrinæ publicæ, faciem induerunt, donec sese vndiq; confirmaret, stabiliretque idololatria: harum deerrationum germanus genuinusq; fœtus vt solent à minimis vitiis incommoda nasci, vel maxima. Itaq; omnino necesse est has priuatas sententias distingui à publica Ecclesiæ doctrina. Et quanquam ne hæc quidem facile admittenda; sed examinanda sit diligenter ad normam sacrarum Scripturarum, tamen illas longe plus iuris est cuilibet Christiano.

XXXV. Et tamen ex eo ipso seculo vnicum Cyprianum citant, non adeo diserte asserentem quod volunt. *Si quis huic nostrum* (inquit Epist 57) *prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris, apud misericordiam Patris non cesset oratio.* Quo loco de particulari cura nullũ verbum: sed tantum de generali dilectione & oratione pro fratribus & sororibus. Hanc autem paulo ante concessimus esse verisimilem, negauimus pertinere ad hoc mediationis officium, de quo est quæstio. Quanquam ambiguum est. Quia tam potest intelligi de orationibus viuorum pro mortuis (solebant concipi etiã pro martyribus) quam de precibus mortuorum pro viuis: atque adeo nullum id est argumentum pro mediatoribus.

XXXVI. Citant etiã Irenæum l.4.c.19. *Sicut illa*, Eua, *seducta est, vt effugeret Deum, sic hæc*, Maria, *suasa est obedire Deo, vt virginis Euæ, virgo Maria fieret aduocata.* Quibus recitatis, quid clarius exclamat Bellarminus, quasi id reperisset, quod in faba pueri. Feuardentius etiam triumphat.

XXXVII. Sed recito locum integrum. *Manifeste itaq; in sua propria veniente Domino, & sua propria eum baiulante conditione, quæ baiulatur ab ipso, & recapitulationẽ eius, quæ in ligno fuit inobedientiæ per eam, quæ in ligno est obedientiam faciente, & seductione illa soluta, qua seducta est male illa, quæ iam viro destinata erat virgo Eua, per veritatem euangelizata est bene ab Angelo iam sub viro Virgo Maria. Quemadmodum n. illa per Angelicũ sermonem seducta est, vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius: ita & hæc per Angelicum sermonem euangelizata est vt portaret Deum, obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est vt effugeret Deũ, sic hæc suasa est obedire Deo: vti virginis Euæ virgo Maria fieret aduocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanũ per virginem, soluatur per virginem: æqua lance disposita virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam.* Hæc Irenæus mysterium redempti generis humani illustrãs pulcra oppositione perditionis & restaurationis: in qua hæc mẽbra Eua virgo, Maria Virgo: Angelus decipiens, Angelus suadẽs: Virgo seducta, Virgo euangelizata: Virgo præuaricata verbum Dei, Virgo obediens Deo. Virgo effugiens Deum, Virgo portans Deum. Itaque planum est Irenæum considerare Mariam viuentem in terris, non autem mortuam & in cœlis regnantem. Ridiculum vero ad probãdam intercessionem defunctorum pro viuis, induci argumentum Mariæ viuentis, intercedentis pro Eua iam pridem mortua. Quis non miretur acumen? Ita Papistas oportuit sapere scilicet. Sed nos scimus Irenæum considerare, non quid Maria, siue viuens, siue mortua effecerit; sed quid per ipsam sit effectum: nimirum in animo habentem mysterium illud Incarnationis, humanæ salutis fundamentum. Itaque sensus est, Mariam fuisse Euæ aduocatam: non quod pro ea suis siue precibus, siue meritis intercesserit apud Deum, sed quia pepererit Filium Dei, in quo solo Eua saluata est.

XXXIX Quod vero aduocatæ vocem vrgent, frustra, imo imperite faciunt. Non n. aduocatam nominauit Irenæus hoc nostro sensu, vt significet, qui apud Deum agat caussam nostram siue precibus, siue meritis: sed longe alio, nimirum, vt apud Tertullianum legimus contra Marcionem lib. 4 c.15. *Quoniam accepistis aduocationem vestram*, pro eo quod est Græce ἀπέχετε τὴν παράκλησιν ὑμῶν 6. Luc. *habetis consolationem vestram.* Et rursus c.14. *Aduocare languentes* è 61. Esaiæ, *& Medicorum aduocatorum*: & de Patientia c.11. *Talibus & aduocatio, & risus permittitur.* Quibus omnibus locis consolatio significatur, vt obseruant Rhenan. Pamelius, Laurentius, Iunius, ex affectatione Græcismi. Tertulliano γνησίως: qua ne Irenæi interpretem quidẽ scatere nemo neget nisi insigniter impudens, aut imperitus. Ille igitur κατὰ πόδας, Græcum παρακαλεῖν vertit per *consolari.* Itaque Irenæi mens erit, Virginem Mariam fuisse Virginis Euæ consolatricem, quatenus sc. quæ ruina in genus humanum irrupit, per Euã, reparata est per Mariã. Nec aliter intelligi locus potest, nisi luxatis mẽbris.

XL. Sic igitur Bellarmino nullus restat testis, quo probare queat intra primum & secundum seculum, aut creditam, aut probatam fuisse defunctorum pro viuis intercessionem apud Deum. Nam quæ citant deinceps, longe sunt recentiora, & vltra seculum tertium, vt Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, Augustini, Leonis. Sed & quædam fraude supposita: vt quæ Feuardentius recitat ex meditationibus Augustini, è Liturgiis, ex Athanasii sermone in Euangelium de Deipara. Nam ea opera eorum authorum non esse, quorum nominibus insigniuntur, norunt omnes paulo cordatiores.

Cap. VI.

Defunctos non esse Intercessores apud Deum.

I. Catholicorum argumenta iam expendamus. Primum. Si solus Christus est mediator noster apud Deum, ergo, Sancti non sunt. Consequentia per se patet: non potest enim solus esse qui in eodem munere collegas habet. Probatur antecedens, prioris ad Timotheum 2. *Vnus enim Deus, vnus etiam mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Primæ Ioannis 2. *Si quis peccauit, aduocatum apud Patrem habemus Iesum Christum iustum:* Ioannis 15. *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Hæc perspicua sunt. Vnde Catholicis facilis materia in eos declamandi, qui in Christum Seruatorem nostrum Dei Filium, tam facile, imo tam prolixe iniurij sunt, vt quod officium solus possidet, communicent aliis plurimis. Caueant sibi. Nam & Christus Deus est: Deus autem gloriam suam alteri non concedit.

II. Respondent Papistæ, negantes consequentiam: eamque variis distinctionibus eludentes. Primum enim, si consequentia esset necessaria: ergo (inquit Costerus) neq; sancti Angeli pro nobis orarent: nec essent rogandi viuentes in eum finem, & peccasset Paulus, qui viuentium preces sibi expetiit. Deinde alios præter Christum mediatores esse constat è Scri-

pturis.

pturis. Nam Paulus aperte fatetur, Mosem fuisse Mediatorē inter Deū & populū Israeliticum. Et ad Heb. 5. Omnem Pontificē constitui pro hominib. in iis, quæ sunt ad Deum vt offerat dona & sacrificia pro peccatis: q̃ sunt partes Mediatoris Itaq; sic statuunt: quemadmodū Matt. 23. *vnus est Pater, & vnus Magister*. Et 19. *Deus solus bonus*: vt nihilominus Nicodemus sit *Magister in Israel* Ioan. 3. & *omnis creatura Dei bona*, prioris ad Timotheum 4: sic Christus sit vnus Mediator: & tamen sancti sint Mediatores.

III. Distinguunt autem varie. Costerus dicit esse Mediatorem excellētiori ratione, homines vero participatione. Eckius, atq; alij mediatorem esse Christum quidem redemptionis, reliquos vero intercessionis. Porsanus, Christum aduocatum præcipuum, & ex officio, sanctos vero sollicitationis, sic enim appellat. Bellarminus omnium prolixissime Mediatoris triplices partes obseruat. Primum: vt diffidentes conciliet declarando vter iustum petat. Secundo soluendo creditori pro debitore: tertio, orando creditorem, vt remittat debitori. Primas partes in hoc negotio nullas esse, quia constet Deum ab homine offensum. Secundas esse Christi solius; & hanc ob causam appellari solum Mediatorem. Tertias vero etiam ad sanctos pertinere. Rursus idem distinguit Mediatorem ratione officij à Mediatore ratione personæ. Et Christum solum esse Mediatorem ratione personæ, quia Deus sit & homo. Deniq; Mediatorem alium esse, qui nullo Mediatore indigeat; & hunc Christum solum: sanctos vero ita esse mediatores aliorum, vt ipsi eguerint Mediatore.

IV. His substratis distinctionibus ad locos respondent singulos. In primo quidem agi de Redemptione; quod Bellarmin. probat, tum quia subiiciatur. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*: tum quia scripta sit epistola ad Timotheum Episcopum Ephesi in Asia, vbi hæresis Simonis vigebat Angelos substituens in locū Christi. In secundo Richeomus negat dici vnum Mediatorem, sed tantum Mediatorem. Porsanus vero intelligi Mediatorem præcipuum & ex officio. Tertij sensum esse Porsanus dicit, neminem venire ad Patrem nisi per fidem Mediatoris Iesu Christi: quia nemo possit scire Patrem esse Patrem nisi norit Filium. Itaque cum Christus sit Filius; credendum esse in Christum, vt credatur in Patrem.

V. Hi tanti conatus, si non redolent sophisticam pertinaciam, quid non redolent? nam certe solent sophistæ, cum maxime tenentur; tum maxime rursum prorsum mouere. Et tamen produnt suum ingenium: veritatem non infirmant. Tenet ergo consequentia Catholicorū, & instantiæ sunt nihili. Nam de Angelis actum antea. Viuentium autem preces non propterea dānantur, quia non pertinent ad munus mediatoris. Et sane Paulum, quem sæpe audis postulasse preces viuentium, tamen nunquam leges appellasse viuentes suos mediatores. Mosen fuisse μεσίτην a Paulo dictum tertio ad Galatas non omnes consentiunt. Nam Veteres plerique omnes Christum dicunt mediatorem legis datæ. Chrysostomus, Hierony. Ambrosius, Primasius, alij, etiam Papistæ. Lombardus, Thomas, Gagnæus. Hic sensus nihil ad hanc quæstionem. Fateor tamen tum Veterum nōnullos, tum etiam recentium ad Mosem referre: Epiphanium contra Manichæos, Theodoretum: Gennadium apud Oecumenium, Bezam, Piscatorem. Sed manifesta est homonymia: nam tum μεσίτης nihil aliud quam internuncium significat, qui ab vno ad alium mandata defert: quomodo Deuteronomij 5. *Ego*, (inquit Moses) *sequester & medius fui inter Deum & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius*, sic enim vulgata editio Latina vertit, quod Græce erat, ἐγὼ εἱστήκειν ἀνὰ μέσον Κυρίου καὶ ἀνὰ μέσον ὑμῶν: ex veritate Hebraica: ego stabam inter Deum & vos. Et hoc modo nihil sit absurdi omnes Prophetas & Apostolos appellari mediatores: imo vero omnes Pastores: Sed hoc mediatoris officiū tam longe abest ab hoc officio, de quo disputamus, quam præconis partes à partibus Regis: atq; adeo ita fuit Moses viuus, mediator in lege danda, vt post mortem neq; fuerit neq; esse potuerit; Iam, quod attinet ad Pontifices: illi etiam ὁμωνύμως mediatores dicebantur: si tamen dicebantur: quomodo lapis sic factus appellatur homo; quia figuram hominis repræsentet. Nam illi Pontifices figurabant Iesum Christum verum Pontificem: Itaq; Deo donaria offerebant, sed non sua: hostias immolabant; at non seipsos. Non possunt igitur ostendere Papistæ alios aut esse, aut fuisse appellatos proprie mediatores præter Christum.

VI. Iam de vno magistro, & solo bono Deo respondeo: primo non cōparari similia. Nam hæ dantur instantiæ ex ipsis Scripturis, in quibus tum alij Magistri nominantur, tum alia bona. At vnum esse Mediatorem Catholici quidem docent è disertis Scripturæ locis: alios autem esse mediatores Papistæ non probant, nisi quia ita volunt, & eo posito distinctiones quo iure quave iniuria obtrudunt. Porro ita res se habet: Quædam esse Dei nomina, quæ quamuis Deo conueniant propria quadam ratione, tamen hominibus etiam communicantur: in his & Bonus, & Magister. At viciſſim alia quædam, quæ non communicantur, vt omnipotens & naturalis Dei filius. In his Catholici asserunt esse nomen Mediatoris inter Deum & homines: quia, cum Scriptura dicat eum vnicum esse Christum, tum alios nullos vnquam sic nominat.

VII. Secundo, bonus solus Deus dicitur, & re vera est. Nec obstat, cum bona dicuntur eius opera, aut boni viri; nam manifesta est homonymia. Cum enim increatum & infinitum non possit esse eiusdem generis, cum creato, & infinito: certe alia, longe alia ratione bonū Deum intelligi hominem oportet, quam virum. Nempe illum proprie vere, & οὐσιωδῶς: hunc autem ἀναλόγως, & ob quandam similitudinem. At mediatores sanctos Papistæ faciunt, eodem mediationis genere cum Christo, eam deniq; ob causam tantum vnum excipiunt Redemptionis effectum, & quidē verbis potius, quā reapse: nam & apud Patrem pro hominib. intercedere dicūt, & non tantum precibus; sed etiam meritis suis: & deniq; etiam propter eos nobis à Deo remitti peccata. Itaque Christus & Sancti mediatores erunt, non alia, & alia ratione, siue mediationis definitione, sed tantum κατὰ τὸ ἧττον καὶ τὸ πλέον: quæ est accidentaria differentia, non essentialis.

VIII. De Patre & Magistro Augustinus in breuiculo diei tertiæ cap. 3. cum obiecissent Donatistæ Paulum se Patrem Corinthiorū appellare, *Responsum est à Catholicis hoc honorificentiæ caussa dictum propter Euangelicum ministerium, quod dispensabat Apostolus. Nam Patrem ad fidem salutemque æternam non esse, nisi Deum*. Distinguit ergo Augustinus Patrem, vt alius sit ratione ministerij, alius salutis æternæ. Ita sane, inquient Papistæ: sed & nos distinguimus. Differo de distinctione dicere, sed Augustinus statim docet è Scripturis necessario, distinctionem elici. *Neq; enim posset*, inquit, *contrarium Christo Apostolus loqui, vt cum ille diceret: Ne vobis dicatis Patrem in terra, vnus enim Pater vester Deus: contra Apostolus tanquam resistens verbis Christi Patrem se diceret eorum: quibus annunciauerat Euangelium: nisi esset vtique distinguendum, quid diuinæ gratiæ, quid humanæ honorificentiæ causa diceretur*. At non similiter Papistæ, qui nō è Scripturæ variis locis suas eliciunt distinctiones: sed è suis somniis, quæ Scripturæ apponunt: opponunt verius. Sed ad rem. Vult Augustinus Patrem & magistrum solum Deum esse, ad fidem salutemque æternam. Sed Hieronymus obiectionem soluit solidius in eum Matthæi locum, *Quomodo vnus per naturam Deus, & vnus Filius, non præiudicat cæteris, ne per adoptionem Dei vocentur & filij, ita & vnus Pater & Magister, non præiudicat aliis, vt abusiue appellentur patres & magistri*. Viderint Papistæ, vtrum suos Sanctos velint abusiue καταχρηστικῶς appellari mediatores.

IX. Ad distinctiones venio: & primum meminisse iubeo, agi nō de mediatore simpliciter, sed de mediatore inter Deum & homines. Nam sic Paulus diserte circumscripsit: & de mediatore ad expianda peccata: vt Ioannes. Deinde, non debere nos in diuinis sapere nostro sensu: sed è Scripturis. Itaque, nisi mihi Papistæ vtrumque membrum, non è suis placitis, aut somniis: sed è Verbo Dei probent, frustra laborant. Nego igitur mediatorem inter Deum & homines alium esse excellenti ratione, alium participatione. quod somnium est Costeri. Nego alium præcipuum, & ex officio, alium sollicitationis, quod est Porsani. Nego esse alium redemptionis, alium intercessionis, quod est Eckij. Ratio: quia non tantum has distinctiones Scriptura nescit: sed etiam, quia diuersos mediatores nunquam nominet: imo contra vnum esse asserit. At in vnitate nihil distinguendum sciunt omnes.

X. Ita porro se habet distinctionum negotium: vt aliæ quidem è Scripturis ipsis αὐτολεξεὶ, vt ita dicam, sumantur. Sic Dei Filius, alius natura, alius adoptione. Sic Angeli in bonos Angelos, & diabolos, & similia multa. Aliæ autem necessario eruuntur è Scripturis, vt paulo ante Augustinus distinxit Patrem & magistrum: vt Theologi fidem distinguunt ex actu, & habitudine, & obiecto. Et Seruatorem, in Seruatorem animarum, vel corporum. Nam etsi ipsa distinctionis vocabula non legantur in Scripturis: tamen ea leguntur, quæ necessario ita exponenda sunt. Nam eadem Scriptura, quæ Deum esse asserit, & Patrem & magistrum, etiam Paulum iisdem titulis ornat. Et quæ fidem nominat Romanorum, Corinthiorum, Thessalonicensium: eadem dicit esse vnam fidem: & quę Dei Filium dixit Christum, eadem fideles filios. Denique Seruatorem Christum (& quæ exempla obseruauit Eckius) Othonielem, Iudicum 3. & Iosephum, Geneseos 41. Eiusmodi quippiam si habent Papistæ, vicerint sane. Sed, vt à se excogitent, tum distinctiones suas, tum res iis distinctionib. significatas: hoc vero tyrannicum est: hoc vero non ferendum. Nam, quis non sic elabatur? Aut cur non duo sua principia Manichæi tueantur, etiamsi dicatur vnus Deus: eludentes esse vnum Deum bonum, ac de eo intelligi Scripturas: sed esse alium malum? Infinita dabuntur eiusmodi. Et certe in eo peccatur, aut semper, aut tam sæpe, vt fere semper, à Scholasticis Theologis, qui, cum pro veris, & certis posuerunt ea, quæ suis temporibus obseruabant, quoties opponebatur Scriptura, elabebantur distinctione aliqua. Sic nobis caput principale, & caput ministeriale conflatum: vt Ecclesiam bicipitem negarent esse monstrosam. Sic latria, dulia, hyperdulia, vt honore religioso creaturæ adorētur. Sic opera legis, distincta à meritis operū: ne obtineat iustificatio per fidē absq; operibus. Prolixus sim, si enumerē quæcunq; possum. Nam ea est horum hominū perpetua audacia.

XI. Sed mediator redemptionis, & intercessionis (quæ plerisque omnibus, ipsi etiam Bellarmino placuit distinctio) quam inepte dicitur? Nam intercessio quid est? Latino vsu, sciunt omnes intercessorem dici, qui opponit se, ne quid fiat, siue, vt loquitur Laurentius Valla, ad impediendum interuenit: quo sensu semper vsurpatur à Tertulliano, post Ciceronem. At hoc Ecclesia non vtitur: sed alio vicino: nempe vt sit in alicuius gratiam apud aliquem instare: quomodo Geneseos 23. פִּגְעוּ בִי, quod Septuaginta verterant, λαλήσατε περὶ ἐμοῦ, non bene Latinus reddidit, *intercedite pro me*. Augustinus Epistola 54. defensorem distinguit ab Intercessore: sic, vt ille diluendis, vel obtegendis criminibus operam maxime impendat: hic autem etiam cum de culpa constat, pro pœna remouenda, vel temperanda curam gerat. Itaque, nec sic quidem recessum fuerit à primaria significatione: quum enim constat de culpa tum ex legis præscripto certa pœna est. Itaque, hic intercessor obstat, impedit ve quominus legis decretum executioni mandetur. Quanquam hunc sensum tam late producit Augustinus, vt multos intercessores confiteri nihil sit absurdum, cum non tantum iustos pro peccatoribus, sed etiam peccatores intercedere dicat, quod procul abest à nostra controuersia. Sed ad rem. Isidorus etiā Originū li. 7. c. 2. intercessorem vocari Christū docet. *Quia pro culpa nostra remouenda curā gerit: & pro abluendis nostris criminib. curā impendit*.

XII. Quorsum hæc? Vt doceam inepte à Papistis distingui mediatorem, in redemptorem, & intercessorem. Nam, primo, vt de vocabulis agam: dico mediatorem, & intercessorem esse, συνώνυμα. hoc est, eiusdem rei diuersa nomina. Nam primo, vt appareat esse lusum verborum, Græci mediatorem, & intercessorem, vnico vocabulo τοῦ μεσίτου significant. Itaque his autoribus, mediator esset, Græcis alius redemptionis: alius μεσιτείας mediationis. En ἀδολεσχίαν.

XIII. Secundo, res ipsa eadem. Nam intercessorem, tum ex Augustino, tum ex Isidoro vidimus dici, qui satagit, vt ne peccator puniatur: imo ab eo culpa remoueatur, & abluantur crimina. Atqui eædem partes sunt redemptionis. Probo, tum, quia Ioannes Christum aduocatū proponit eis, qui peccarunt: & addit rationem, quia sit propitiatio pro peccatis. Nam quis non videt ideo proponi aduocatū, vt spes fiat peccatoribus delēdorum criminum, remouendæque culpæ? Imo quis nescit, hoc ipsum appellari propitiatorem? Rursus Paulus, qui vnum mediatorem sic dixit, vt vnum Deum: ac proinde quem volunt Papistæ loquutum de mediatione redemptionis, is inquam, rationem addit, *Qui dedit semetipsum redēptionis*

pretium

pretium pro quibusſuis. Et paulo ante, Deum velle homines ad ſalutem venire: quod non fit, niſi per remiſſionem peccatorum. Ergo, tum redemprio, tum interceſſio re ſunt eædem. Itaq; diſtinctio eſt inutilis. Idque eo magis, quod Papiſtæ à ſuis Sanctis diſerte poſtulant, id ipſū quod à Chriſto redemptore, remiſſionē peccatorum, ſalutem, liberationem ab æternis pœnis, vitam æternam. Et quidem ex vi meritorum. Quæ ſi redemptio non eſt: quid eſt, quæſo redemptio, aut quibus eam terminis circuncludet? Si non eſt, inquam, cum nobis aliquis liberationem à peccatis, à gehenna, vitam etiam æternam obtinet à Deo propriis ſuis meritis? Itaque hic omnino puerilis eſt vocabulorum luſus, vt alias cum idem genus adorationis religioſæ tribuentes Creatori, & creaturis, tamen diſtinguunt latriam, & duliam.

XIV. Superſunt tres Bellarmini cauſæ: quarum prima, Interceſſorē appellat eum, qui pronunciet, vtra partium æquum poſtulet. Vnde id? Nam hactenus eas partes nemo vnquā Interceſſori tribuit: vt ſolius Bellarmini eſt καινοπρέπεια. Atque Auguſtino, defenſor ab interceſſore plurimum diſtat: & defenſori hoc officium aſſignabat, vt diluat crimina: hoc eſt (vt omnes vident) vt pronunciet, vtrum æquum petatur. Itaque non tantum Interceſſor huiuſmodi dari non poteſt inter Deum & homines: ſed ne quidem in rerum natura.

XV. Quod attinet ad duas reliquas: reſpondeo, Papiſtas non aſſignare Sanctis ſolas preces: ſed etiam merita. Imo preces non niſi cum meritis, aut etiam propter merita. Sunt autem merita apud Deum ſolutio pro debitore. Et cum orant Papiſtæ, vt Nicolai meritis & precibus à gehennæ incendiis liberentur, & vt laruis intercedentibus meritis, ab omnibus peccatis abſoluantur, an quiſquam iis verbis ſenſus eſſe poteſt, quam vt qui ſuis meritis non poſſunt eam gratiam ſperare, adiuuentur alienis, id eſt, vt Deus acceptet Sanctorum merita pro ſatisfactione peccatorum, quorum ij rei ſunt, qui orant? Ergo Sancti apud Papiſtas inuolant in eam cauſam, ob quam fatetur Bellarminus Chriſtum dici ſolum mediatorem. Et rurſus apparet vocabulorum luſum eſſe ſophiſticum.

XVI. De Mediatore officij, & Mediatore naturæ rurſus tricæ. Nā, primo aliud eſt medius aliud mediator. Ille ad perſonam referri queat: ſed hunc omnino oportet ſignificare officium. Itaq; tum Scriptura, tum Veteres, cum non ſolum medium: ſed diſerte ſolum mediatorem dicant Chriſtum, oſtendunt ſe de officio loqui. Et confirmatur à circunſtantiis. Nam Paulus, non tantum mediatorem nominauit, poſtquam dixiſſet, Deum velle omnes homines ſaluari: ſed etiam poſt Mediatorem nominatum, addidit redemptionis pretium pro quibuſuis. Quæ quidem non perſonæ ſunt, ſed officij. Itaque fatendum à Paulo Chriſtum appellari unum Mediatorem non ratione perſonæ, ſed maxime ratione officij. Secundo, officium Mediatoris pendet à perſona: adeo vt nemo ſit mediator inter Deum & homines, niſi qui etiam medius? qua de re paulo poſt. Tertio, non conſentit Bellarminus cum Porſano. Nam Bellarminus, cum ſolius perſonæ mediationem ſoli Chriſto vindicet: concedit ex officio alios præter Chriſtum eſſe mediatores. At Porſanus explicans locum ex 2. c. prioris Epiſtolæ Ioannis Chriſtum dicit intelligi Mediatorem præcipuum, & ex officio: ſignificans mediationem ex officio non competere, niſi Chriſto. Itaque contradictio eſt manifeſta.

XVII. Supereſt ſtropha diſtinctionis in mediatorem, pro quo nullus ſit mediator, & mediatorem qui ipſe indigeat mediatore. Cui oppono primum illud ſolenne, vnde ſit hauſta. Nam ſi è Scriptura, cedo locum, & cedimus. Sin à Scholaſtico: um ſomniis εἰς κόρακας. Deinde Auguſtinum malim audire contra Epiſtolā Parmeniani lib. 2. c. 8. *Homines omnes Chriſtiani inuicem ſe commendant orationibus ſuis: pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic vnus veruſque mediator eſt.* Quibus ſignificatur, non omnem qui apud Deum interpellat pro alio, eſſe appellandum mediatorem: ſed eum ſolum qui ſic pro omnibus, vt nemo pro eo. At Papiſtæ, tum hunc tum illos eodem nominis honore dignantur. Id ergo aſſerunt quod Auguſtinus negat: patiantur nos cum Auguſtino, negare vllum eſſe mediatorem apud Deum, qui ipſe mediatore indigeat.

XVIII. Iam de locis è Scriptura citatis, nullum negotium. In primo, vnus mediator diſerte, itidem, vt Deus: At Deus ſic vnus dicitur, vt excludantur omnes diſtinctionum quiſquiliæ: cur non & mediator? Certe Auguſtinus ita ſcripſit contra Epiſtolam Parmeniani lib. 2. c. 8. *Si eſſet mediator Paulus, eſſent vtiq; & cæteri Apoſtoli: ac ſic multi mediatores eſſent: nec ipſi Paulo cōſtaret ratio, qua dixerat, Vnus Deus, vnus Mediator.* Nam quod aiunt intelligi Mediatorem redemptionis fateor: ſed addam Mediatorē ſolius interceſſionis, monſtrum eſſe Papiſticum. Ad hæc quis non videt Paulum probare eſſe orandum pro omnibus, quia omnes Deus ſaluari velit? Et rurſus Deum omnes velle ſaluari, quia vnus ſit Mediator? Ergo oportet Mediatorem intelligi cuius beneficio perueniatur ad ſalutem. Itaque vnicum eſſe mediatorem, per quem ſperemus ſalutem. At Papiſtæ per ſanctos volunt ſperari, poſtulariq; ſalutem, & quæcunq; ad eam conducunt. Quid tum ? ſi nominatur ſtatim pretium redemptionis? aut quo artificio elicient inde diſtinctionē Mediatoris? Cur nō potius cōcludant neminē eſſe mediatorem qui idem non dederit ſeipſum redemptionis præmium.

XIX. De Simone Mago nugæ. Nam primum nemo docuit ab eo Angelos ſubſtitutos in locum Chriſti, ſed potius ſeipſum pro Chriſto venditaſſe. Deinde quorſum? Nulla enim conſequentiæ vis. Timotheus erat Epiſcopus Epheſinus. Epheſus erat in Aſia. In Aſia Simoniani vigebant. Simoniani, ſiue Simonem ſiue Angelos ſubſtituebant in locum Chriſti. Intelligo. Sed quis ſcopus? Ergo Paulus intellexit tantum Mediatorem redemptionis? monſtrum Logicæ. Quid ſi ego contra. Ergo intellexit mediatorem interceſſionis? Quo argumento refutent? At ego probem: quia ſi conſtituebant, ſiue Angelos, ſiue Simonem in locum Chriſti: ergo mediatorem non diſtinguebant, ac tum redemptionem, tum interceſſionem adſcribebant, ſiue Simoni ſiue Angelis. Scribens, ergo contra eos Paulus vniuerſaliter intelligendus. Vnicum eſſe mediatorem Chriſtum tam interceſſionis, quam redemptionis.

XX. In ſecundo loco non nominatur ἀντίλυτρον, vt prius, ſed ἱλασμὸς, propitiatio pro peccatis. Etſi autem vtrumq; reuera vnum ſit & idem, tamen ita cæcutiunt, vt redemptionem Chriſto permittentes propitiationem Sanctis communicent. Audi ſolennia verba in feſto omnium ſanctorum, *Vt deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis interceſſoribus largiaris.* Quid igitur habent quod opponant Ioanni? audite vero. Non dixit vnum eſſe, ſed tantum eſſe aduocatum. Ita eſt inquam, ſed quid tum? aut ſi Papiſtis fauet, cur iis qui ſe peccatorū multitudine grauari ſentiunt, non cecinit illud magnificū, *multiplicatis interceſſoribus?* Cur non quod hodie inter omnes maxime ſolent Ieſuitæ, cum moribundos adeunt, hortatus eſt, vt eligerent ſibi aduocatum? Cur potius Ieſum Chriſtum nominauit, alium præterea nullum? Nimirum ille mos erat Apoſtolorū perpetuus: nec dum multiplicatos interceſſores ſuos Papiſmus excuderat, per quos nō tantum propitiationem, vt per Chriſtum, ſed abundantiam propitiationis poſtularet, quemadmodum per multos tubos aquas vident largiores fluere, quam per vnum. Nam Porſani mediatorem præcipuum & ex officio, cur amplius exigitem? audiat ſemel à Catholicis eos omnes mediatores reiici, qui non ex officio, ideoque præter officium, Mediatoris vſurpant officium.

XXI. Reſtat tertius locus, in quo quis non adoret Porſani Theologiam? Nemo venit ad Patrem, id eſt, inquit, nemo Patrem nouit niſi metaphyſicus ſit, & dialecticus, vt exacte ſciat relationum naturam. I nunc, & nega mirandam Papiſtarum in explicandis Scripturis ſolertiam. Sed ſimpliciores Catholici ſeriem ſermonis attendunt, *In domo Patris mei,* (inquit Dominus) *habitationes multæ ſunt: alioqui dixiſſem vobis. Proficiſcor paraturus vobis locum: & cum profectus fuero, & parauero vobis locum, rurſus veniam, & aſſumam vos ad meipſum: vt vbi ſum ego, & vos ſitis. Et quo ego abeam ſcitis: & viā ſcitis. Dicit ei Thomas, Domine, Neſcimus quo abeas: quomodo igitur poſſumus viam ſcire? Dicit ei Ieſus: Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Vbi iciunt, imo vident omnes agi de manſione apud Deum, hoc eſt, de fruitione Dei, quæ eſt beatitas fidelium: nec conſiſtit in ſola cognitione, multo minus in dialecticis & metaphyſicis tricis. Ephrem de manſionibus beatorū, *Saluator noſter, manſiones multas Patris, vocat menſuras intelligentiæ eorum, quæ in regione illa commerantur: dico autem diſcrimina, ac differentias, quibus mente & intelligentia gloriam participant: non enim locorum diuerſitatem, ſed chariſmatum ordinem manſiones multas appellauit. Quemadmodum enim vnuſquiſque pro puritate, & capacitate viſiua potentia ſenſibilibus radiis ſolaribus fruitur: & quemadmodum vnica lucerna in vna domo lucente, aliter atque aliter luminis ſplendor diffunditur, licet etiam per multas lucernas non fuerit diuiſus: ad eundem modum in futuro ſeculo, iuſti omnes indiuiſibiliter habitabunt, vnius gaudij participes.* Hieronymus li. 2. contra Iouianum, *Quis riſum tenere queat, cum, quod multas manſiones apud Patrem, Eccleſias arbitretur in toto orbe diffuſas: cum manifeſtiſſime Scriptura doceat, ſecundum Euangelium Ioannis, non de eccleſiarum numero, ſed de cælorum manſionibus, & æternis tabernaculis, quæ Propheta deſiderat, Domino fuiſſe ſermonem?* Itaque Cyrillus in Ioannem lib. 9. *Nemo accedit ad Patrem, id eſt nemo diuinæ naturæ aliter particeps erit, niſi per Chriſtum. Nam niſi factus homo ille mediaſſet, in tantam beatitudinem nemo vnquam hominum perueniret.*

XXII. Habent ergo Catholici luculentam ſcripturam. Sed & rationem. Omnis mediator eſt medius. At nullus angelus, nullus Sanctus, eſt medius inter Deum & homines. Ergo nullus angelus, nullus ſanctus, eſt mediator inter Deum & homines. Patet maior ex iis quæ prolixe diſputata ſunt ſupra capite 4. vbi aſſeruerunt omnes Patres neceſſe fuiſſe, vt Chriſtus eſſet Deus & homo: non futurus alioquin mediator. Nouatianus de Trinitate ca. 14. *Si homo tantummodo Chriſtus, cur homo in orationibus mediator inuocatur, cum inuocatio hominis, ad præſtandam ſalutem inefficax iudicetur?* Et ſimiliter c. 16. *Et merito, dum eſt in illo aliquid quod ſuperat creaturam, pigneret a in illo diuinitatis, atq; humilitatis videtur eſſe concordia. Propter quam cauſam, qui mediator Dei & hominum effectus exprimitur, inſi Deum & hominem ſociaſſe reperitur,* εἰ μόνον ἦν ἄνθρωπος, ἢ εἰ μόνον Θεὸς, οὐκ ἂν ἦν μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, inquiebat Athanaſius Dialogo 5. de Trinitate, *Si Chriſtus eſſet tantum homo, vel tantum Deus, non eſſet medius inter Deum & homines.* Cur non itidem nos, ſi Sancti ſunt tantum homines, ergo non ſunt medii, ideoque, neque mediatores? adde Theodoretum in prioris ad Timoth. 2. c. *Si vt vult Arrius & Eunomius, non eſt Patris ſubſtantiæ particeps, quomodo eſt interceſſor? Nobis enim vnitus eſt: quoniam, quoad ad humanitatem attinet, eſt eiuſdem nobiſcum ſubſtantiæ: ſed Patri non itidem, ſi quidem, vt illi volunt eſt ab eius ſubſtantia ſeiunctus. Atqui eum vocauit interceſſorem diuinus Apoſtolus. Ergo etiam Patri fuit vnitus, quod attinet ad diuinitatem: & nobis ſimiliter, quoad humanitatem.* Nota: primo, ab hoc Theodoreti interprete, μεσίτην, Latine reddi *interceſſorem*: vt ne mihi amplius diſtinguant Papiſtæ mediatorem in redemptorem, & interceſſorem. Secundo, vim argumenti: Omnis mediator eſt particeps ſubſtantiæ Patris. At Chriſtus eſt mediator: ergo eſt particeps ſubſtantiæ Patris contra Arrium & Eunomium. Cur nos non ſimiliter? Omnis mediator eſt particeps ſubſtantiæ Patris. At ſancti ſunt mediatores, ſecundum Papiſtas: Ergo, Sancti ſunt participes ſubſtantiæ Patris. Quod eſt blaſphemum. Leo Epiſtola 13. *Non enim eſſet Dei hominumque mediator, niſi idem Deus, idemque homo, in vtroque & vnus eſſet & verus.*

XXIII. Addo alteram rationem: Quicumque eſt mediator inter Deum & homines, eum oportuit mori pro hominibus. At Sancti nulli poſſunt pro hominibus mori. Ergo, nulli ſancti ſunt mediatores inter Deum & homines. Maior probatur, quia mediatoris eſt conciliare partes diſſidentes, inter ſe, & quidem in hoc ſalutis negotio: non æquo iure, ſed Deum propitiando hominibus. At ſine ſanguine nulla fit remiſſio. ad Hebræos 9. Itaque Paulus prioris ad Timotheum 2. poſtquam Chriſtum nominauit mediatorem, ſtatim ſubiicit (tanquam ſignum, inquit Aquinas, nimirum quod ſit mediator) *Qui ſemetipſum dedit redemptionis pretium pro quibuſuis.* (ſic appellat τὴν μεσιτείαν) adſit Ambroſius, *Saluator vt arbitrium ſuum* ... *Aduocatum*, inquit ... *ctum perduceret, mori ſe paſſus eſt.* Et Ioannes ſimiliter, *Aduocatum, apud Patrem habemus Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Rurſus, Paulus 8. ad Romanos, *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt, imo vero qui etiam excitatus: qui etiam eſt ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Porro aſſumptio non eget probatione.

XXIV. Porſanus negat maiorem, data inſtantia. Nam alias, inquit, ſi delet

deles viui qui pro nobis orant mortui essent pro nobis. Sed hoc frustra. Nam etsi viui orent alii pro aliis, tamen non sunt mediatores apud Deum: vt alias diximus. Et rursus non sic fingunt Papistæ, sanctos defunctos orare quomodo viuos: solis, inquam, precibus: sed addunt eorum merita, quibus innituntur sperantes se propter illa assequuturos remissionē peccatorum, & regnū cœlorū. Exempli gratia: In festo S. Ludouici Confessoris, *Deus qui B. Ludouicum confessorem tuum, de terreno ac temporali regno, ad cœlestis, & æterni regni gloriā transtulisti: eius quæsumus meritis, & intercessione Regis regū Iesu Christi Filij tui nos cohæredes efficias, & eiusdē regni tribue esse consortes.* Notent pij detestandam blasphemiam. Postulant Papistæ fieri participes regni cœlorum: fieri autem, tum intercessione, tum meritis Ludouici. Respondeant quid hæc sibi velint vocabula. Si simpliciter preces intercessio apud eos significat: audimus hic diserte plusquam simplices preces, quales sunt viuorum pro viuis, expectari à Ludouico, nempe merita. Nam vtrumq; exprimitur. Si idem est vtrumque, aut saltem alterum nunquam seorsim ab altero, agant ingenue tandem aliquando, & aperiant mentem suam Papistæ, vtrum ab omnibus viuis sic sperent se efficiendos cohæredes Christi, quemadmodum à Ludouico postulant. Nam si non credunt, exempli gratia, Paulum factum esse consortem regni æterni per merita, & intercessionem Thessalonicensium, quorsum nobis illi viuentium mutuas preces occinunt in re prorsus dispari, nisi vt imperitis fucum faciant? Ita enim solent.

XXV. Iam Veteres subiicimus. Diserte Clemens ille, quisquis est autor Constitutionum Apostolicarum lib. 2. c. 28. οὐδὲ γὰρ τῷ παντοκράτορι Θεῷ προσελθεῖν ἐστιν, ἐὰν μὴ διὰ τοῦ Χριστοῦ, *Neq; enim ad Omnipotentem accedere licet, nisi per Christum.* Et vt magis intelligas, quid hæc sibi verba velint: prohibet ne temere quisquam negotium facessat, τῷ ἄρχοντι Episcopo, ἀλλὰ διὰ τῶν ὑπηρετῶν ἃ βούλονται σημαινέτωσαν, *quin potius quæ volent per ministros significent.* Vult igitur neminē ipsum deferre ad Episcopū sua negotia, sed per intercessores (vt ita dicam) diaconos. Hoc præceptū similitudine confirmat: quia ad Deum nemo accedit, nisi per Christum, cui etiam alibi diaconos comparat. Iam v. ille intercessores apud Episcopum non distinguit in varios ordines: sed absolute solis diaconis eas partes assignat: Itaque eius hæc mens est, vt solus Christus is sit, quo intercedente ad Deum accedamus. Ignatius Epistola ad Philadelphios, εἷς γὰρ ὁ Θεὸς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης. εἷς ὁ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων εἴς τε δημιουργίαν νοητῶν, καὶ αἰσθητῶν, καὶ πρόνοιαν πρόσφορον, καὶ ἁρμόδιον. εἷς δὲ καὶ ὁ παράκλητος, ὁ ἐνεργήσας ἐν Μωσῇ, καὶ προφήταις, καὶ ἀποστόλοις. *Vnus est Deus Veteris & Noui Testamenti: Vnus mediator Dei & hominum, tum ad creationem rerum intellectualium, ac visibilium: tum ad prouidentiam congruam & accommodatam. Vnus & Paracletus, qui efficax fuit in Mose, in Prophetis, in Apostolis.* Ad Antiochenos, οἱ ἀπόστολοι εἰπόντες ὅτι Θεὸς εἷς ἐστιν, εἶπον οἱ αὐτοὶ ὅτι εἷς καὶ μεσίτης Θεοῦ, καὶ ἀνθρώπων, *Apostoli qui vnum esse Deum, ijdem dixerunt vnum esse mediatorem Dei & hominū.* Ad Magnesios, μία δέησις ἔστω κοινή, εἷς νοῦς, μία ἐλπὶς ἐν ἀγάπῃ, ἐν πίστει τῇ ἀμώμῳ. τῇ εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν. οὗ ἄμεινον οὐδέν ἐστι, πάντες, ὡς εἰς τὸν ναὸν Θεοῦ συντρέχετε ὡς ἐπὶ ἓν θυσιαστήριον, ἐπὶ ἕνα Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν ἀρχιερέα τοῦ ἀγεννήτου Θεοῦ, *Sit vna communis precatio, vna mens, vna spes in charitate, & fide inculpata in Christum Iesum quo nihil præstantius. Omnes velut in templum Dei concurrite, velut ad vnum altare, ad vnum Iesum Christum summum Sacerdotem Dei ingeniti.* Rursus εἷς γάρ ἐστιν ὁ Χριστός, εἰς ὃν πᾶν ἔθνος πιστεῦσαν, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογησαμένη, εἰς Θεὸν συνήχθη, *Vnus est Christus, in quem gens omnis credens & omnis lingua confitens, ad Deum adunata est.* Ad Philadelphios, Αἱ παρθένοι μόνον τὸν Χριστὸν πρὸ ὀφθαλμῶν ἐχέτε, καὶ τὸν αὐτοῦ πατέρα ἐν ταῖς εὐχαῖς. *Virgines, vnicum Christum præ oculis habete eiusque Patrem in precibus.*

XXVII. Chrysostomus de pœnitentia homilia 5. *Atq; homines, si quando exorare oportet, & ianitoribus prius occurrere conuenit, parasitisq; histrionibus persuadere, & longū sæpenumero abire. In Deo nihil tale est, sine mediatore exorabilis est.* Idem de muliere Chananæa, ex variis in Matth. locis hom. 17. *Dic mihi, mulier, quemadmodū ausa es, cum sis peccatrix & iniqua, accedere ad eum? Ego, inquit, noui quid agam. Vide prudentiā mulieris. Non rogat Iacobū, non obsecrat Ioannem: non pergit ad Petrum, nec intendit Apostolorum chorum: non quæsiuit mediatorem: sed pro omnib. illis pœnitentiam accepit comitē, quæ aduocati locum impleuit, & sic ad summū fontem perrexit: Propterea, inquit, descendit: propterea carnem assumpsit, & homo factus est, vt ego ei audeam loqui.* Et rursus, *Non ostiario, nō mediatore, non ministro opus est: sed dicito, Miserere mei, & Deus illico aderit.* Hæc Chrysost. quibus quid disertius?

XXVIII. Porsanus tamen negat propterea mediatores reiici. Alioqui reiiciendum ipsum Christum. Deinde etiam viuorum intercessiones. Nā Iacobus, Ioannes & Petrus, tum erant in viuis.

XXIX. Sed hæc frustra. Nam viui nulli sunt intercessores nostri apud Deum: vt alias diximus: nisi improprie & abusiue: vt hanc mulierem Chananæā, pro filia sua orātem, idem autor aduocatricē appellat: *Egressa est (inquit) aduocatrix filiæ.* Quid? aut quomodo aduocatrix? Ex vi suorum meritorum? Imo, οὐδ' ὡς ἀξία οὖσα, οὐδ' ὡς ὀφειλὴν ἀπαιτοῦσα οὕτω προσῆλθε. *Nec quasi digna, nec quasi debitum efflagitans,* inquit Chrysost. homilia 52. in Matthæum. Præterea, si verum est, μεσίτην οὐκ εἶναι κυρίως τὸν περὶ ἑαυτοῦ, pro seipso non postulare, vt antea vidimus; hæc sane mediatrix proprie appellari non potest: quæ ipsa grauiter angebatur morbo filiæ, καὶ λέγει, ἐλέησον τὴν θυγατέρα μου, ἀλλ' ἐλέησόν με. ἐκείνη μὲν γὰρ ἀναίσθητός ἐστι τοῦ νοσήματος, ἐγὼ δὲ ἡ τὰ μυρία πάσχουσα εἰμὶ δεινά. *Non dicit, Miserere filiæ meæ, sed miserere mei: illa enim morbi sensu non afficitur: at ego ea sum, cuius dolores sunt infiniti.* Videte imaginem viuam intercessionis fidelium viuentium mutuæ. Non enim, vt extra aleam posit, quomodo Christus pro nobis orat: vt Sancti finguntur à Papistis: sed vt ipsi participes afflictionum, quæ fratribus accidunt: quomodo Paulus dicebat, *Quis affligitur, quin ego affligar? quis offenditur, quin ego vrar?* Posterioris ad Corinth. 11. Atque hactenus suam rem agunt fideles, cum pro fratribus deprecantur. Deniq; nulli viuentes suis precibus id agunt, vt nobis ad Deum præbeant accessum: sed vt ipsi nobiscum Deum adeant: itaq; non sunt mediatores.

XXX. Iam Christum verum mediatorem à Chrysost. excludi, hoc vero falsum. Primo enim agitur de precibus ad Christum: Itaque conclusio erit legitima, si dicamus apud Christum, nullo nobis opus esse mediatore: contra quam docent Papistæ. Secundo, ipse Christus est Deus, Nec dixit Chrysostomus, opus non esse mediatore apud Patrem: Deus est, apud quem mediator nullus est. Sunt autem hæc notanda, *Propterea descendit, propterea carnē assumpsit, & homo factus est, vt & ego ei audiam loqui, Sursum in cœlis Cherubin eum tremunt, & Seraphim metuunt, & deorsum meretrix loquitur cum eo.* Nam hæc Christum referunt, non vt Deum simpliciter, sed vt Deum mediatorem. Tertio, satis apparet Chrysostomum excludere homines puros, quantumuis Sanctos, sic enim nominat Iacobum, Ioannem, Petrum. Itaque hoc tantum concludi potest: apud Deum nullum esse mediatorem purum hominem.

XXXI. Augustinus Confessionum libri 10. c. 42. *Quem inueniam qui me reconciliaret tibi? An eundum mihi fuit ad Angelos? Qua prece? quibus Sacramentis? multi conantes ad te redire, neque per seipsos valentes, sicut audio, tentauerunt hæc & inciderunt in desiderium curiosarū visionum, & digni habiti sunt illusionibus.* Idem contra Epist. Parmeniani lib. 2. c. 8. cum incidisset in eum locū ex 1. Ioannis de aduocato Iesu Christo, *Si ita diceret, Hoc scripsi vobis, vt non peccetis; & si quis peccauerit Mediatorem me habebit apud Patrem: & ego exoro pro peccatis vestris: sicut Parmenianus quodam loco Mediatorem posuit Episcopum inter populum & Deum, quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur? Homines enim omnes Christiani inuicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verusq; Mediator est: cuius typus, quoniam præfigurabatur in Sacerdote Veteris Testamenti, nullus illic inuenitur orasse pro Sacerdote. Paulus autem Apostolus, quanquam sub capite præcipuum membrum, sed tamen, quia membrum est corporis Christi, & nouerat, non per figurā in interiora, vel ad sancta sanctorum, sed per expressam, & firmam veritatem in interiora cœli ad sanctitatē non imaginariam, sed æternam, pro nobis intrasse maximum & verissimum Sacerdotem Ecclesiæ, se orationibus fidelium & ipse commendat. Nec Mediatorem se facit inter populum & Deum, sed rogat vt pro se orent inuicē omnia membra, quoniam pro inuicem sollicita sunt membra, & si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & si glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra: ac sic oratio pro inuicem membrorum omnium adhuc in terra laborātium ascendat ad caput, quod præcessit in cœlum, in quo est propitiatio pro peccatis nostris. Nam si esset mediator Paulus, essent vtiq; & cæteri coapostoli eius: ac sic multi mediatores essent, nec ipsi Paulo constaret ratio qua dixerat, vnus enim Deus, vnus Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.*

XXXII. Quid disertius? Neque Ioannes, neque Paulus, neque cæteri Apostoli mediatores sunt inter Deum & homines. Atqui ij apud Papistas sunt inter primos fideles: commendant se inuicem orationibus suis: & tamen non sunt mediatores. Atqui hac instantia subinde vtuntur Papistæ, viuos orare pro se inuicem: ergo esse mediatores. Rursus negat Apostolos esse mediatores: ergo ponit pro absurdo plures esse mediatores: quod Papistæ non cessant negare. Si se Apostolus mediatorem dixisset, pro Antichristo haberetur. Quid de iis diceret, qui Apostolos pro mediatoribus obtrudunt? Non essent ipsi Antichristi, qui quantum in iis est, ex Apostolis Antichristos faciunt?

XXXIII. Iam mediatorem quo sensu nominauit? Qui exorat pro peccatis. Audi puram putam intercessionem Papistarum. Ergo ne intercessionis quidem, quatenus eam à redemptione distinguunt, Mediatorem vllum agnoscit Augustinus præter Christum. Denique qui pro omnibus interpellat, & pro quo nemo, is vnus verusq; Mediator. Ergo reliqui non sunt mediatores: & si sunt, non sunt veri mediatores: imo, quia non sunt veri: ideo ne sunt quidem.

XXXIV. Audistis Augustinum: nunc audite Bellarmini sophisticam solertiam. Non negat Augustinus, quia Sacerdos possit esse mediator orando pro populo, nisi in eo sensu, quo Mediator Dei & hominum dicitur, qui pro omnibus interpellat, & ipse nullo eget, qui pro se interpellet, aut per quem interpellet. Secundo, cum dicit Christum pro omnibus interpellare, intelligit, Christum esse, per quem omnes interpellant, siue pro se, siue pro aliis orent.

XXXV. Ad hæc quid dicimus? Primo, Augustin. distinguit Sacerdotes Veteris Testamenti, à Sacerdotibus Noui, siue Apostolis & Episcopis. Illos concedit fuisse mediatores, sed typice: hoc est, non ipsos esse mediatores, sed mediatorem significare. Hos v. prorsus negat esse mediatores; distinctione nulla adhibita. Itaq; pro Sacerdote veteris Testamenti: quia mediatorem figuraret, negat fuisse oratum. At pro populo fuisse oratum docet: quia, cum Christus ingressus esset in cœlum, non tantum nulli essent mediatores: sed ne quidem vllus, qui mediatoris typum gereret. Itaque vniuersaliter, Si Ioannes se mediatorem appellasset, futurum fuisse Antichristum

XXXVI. Ad secundum, primo, Augustinus cum de precibus fidelium agit, non vtitur hac phrasi in *interpellare apud Deum*: sed hac, *se inuicem commendare orationibus suis.* Etsi autem in vocabulis simpliciter non sit magnum momentum: tamen, quia *interpellandi* vocabulum iampridem vsurpari cœptum pro officio mediatoris, non putem facile multis communicandum. Secundo, si admittimus huius vocis vsum promiscuum, concedo Augustinum dicere, Christum eum esse, per quem reliqui Deum interpellant, siue pro se, siue pro reliquis: sed addo, eum qui per Christum, siue pro se, siue pro aliis interpellat, ab Augustino negari esse mediatorem: qui quæstionis nodus est: imo vero huius controuersiæ luculenta conclusio.

CAP. VII.

Vtrum Sancti in cœlis positi humana negotia norint.

I. Rursus negant Catholici Sanctos defunctos esse Mediatores viuentium, hoc argumento: Omnis Mediator nouit eorum negotia pro quibus est intercedendum: At sancti denati non norunt negotia viuentium hominum: Ergo sancti mortui non sunt mediatores. Maior est extra controuersiam. Per se enim notum est; Paulum exempli gratia, quum oratur, pro quacumque tandem necessitate oretur, scire oportere, primo se

orari,

orari, secundo, quis sit is qui orat, fidelisne an hypocrita: tertio, quis sit orationis finis: nam apud Papistas alius remitti sibi peccata postulat: alius liberari à morbo: alius aliquis erui à maris, siue itinerum periculis: alius porcos sibi custodiri, aut equos, aut oues: & similia absque vllo numero. Et quidem ita, vt singulis sanctis sua distincte munia sint assignata. Non enim qui in sanctis Papisticis, bubulcus est, is est opilio, aut subulcus: nec qui carminator, idem sator aut sutor. Nec qui à peste liberat, idem ab hydropisi, aut mania.

II. Bellarminus tamen hanc maiorem negat. Nam cum certum sit (inquit) ex tot Patrum testimoniis, & tot miraculis à Deo ostensis, eos qui inuocant Sanctos exaudiri, & impetrare quod petunt: certe non frustra inuocantur sancti, etiamsi demus eos non audire, neque cognoscere nostras preces. Nam aliquis alius eorum vice fungitur, sicut non frustra supplicat Regi, qui certe scit Regem non lecturum supplicationem: sed aliquem alium ex aula eius: & nihilominus ita se impetraturum quod petit, ac si Rex legisset supplicationem.

III. At hæc quam inexpectata: imo quam monstrosa! Nam quis dubitet ab eo nos commendari debere Deo, qui est pro nobis intercessor? Quid? cum ergo quis putet posse nos commendare, qui nesciat quidem, vtrum nos simus in rerū natura? Et potuit aliquid excogitari magis ridiculum? magis absurdum? Vtinam vero cunctis è Papistica plebe, possemus persuadere quod ille fingit concedi posse. Næ videret ipse suis oculis, quantum in eo momentum esset ad euertendam idololatriam Papisticam! Aliquis (inquit) eorum vice fungitur. Is autem quisnam est? Imo priori loco hoc ipsum vnde habetur? An ex Scriptura? At ea, ne verbum quidem habet de intercessione Sanctorum: nedum de Sanctorum vicariis istis. An ex Patribus? Imo non potest, vel verbulo id docere. Vnde igitur? à seipso? sine dubio à seipso: hoc est, à mendace. En Papisticas demonstrationes! Sed is vicarius quis est? aliusne quis è Sanctis? abibit in infinitum. An angelus? Nouum genus doctrinæ, Angelos esse Sanctorum vicarios. An Deus? Blasphemum.

IV. Deinde vicarius iste, quisquis est, quid agit? defertne nostra negotia ad eos mediatores? an certe ad Deum? Nam si ad Sanctos: ergo implicatur contradictio: nam quos supponimus nescire nostra negotia, iidem affirmantur scire: nam certe sciunt, si quis ad eos deferat. Si ad Deum recta, omissis Sanctis intermediis: qui fieri potest, vt quis eos mediatores, intercessores, interpellatores cogitet, quorum nullas esse partes nouit in suis negotiis, vel cognoscendis, vel deferendis, vel commendandis? Nam si non cognoscit, non defert, multo minus commendat: hos igitur delatores potius oportuit mediatores appellare.

V. Sed similitudo à Rege, quam aliena, quam inepta? Primo, persona Regis, non commode refert mediatorem, sed potius Deum, apud quem mediatore opus est. Est autem certum, Regem posse multa præstare, per mediatores, quorum ipse ignarus sit. At contra, falsum posse quempiam apud Regem agere mediatorem, qui tamen omnino non norit eum, pro quo intercedit. Secundo, Rex, etsi supplicationem scriptam non legat: tamen sibi offerri nouit: at Sancti, si sunt ignari rerum hic gestarum, tum ne quidem, vtrum sibi vlla supplicatio offeratur, intelligunt. Tertio, hic fons est, vel maximus errorum in religione cum è terrestribus cœlestia metimur.

VI. Assumptioni contradicunt omnes Papistæ. Itaque hinc noua surgit controuersia: & Costerus quidem diserte pronunciat, Sanctos cum Christo in cœlis æuum degentes, non ignorare, quæ à viuentibus in terra geruntur. Coccius, Thesauri tomo 1. lib. 5. art. 8. Sanctos in cœlo triumphantes, & diuini spiritus lumine collustratos, nulla locorum intercapedine impediri quominus absentia agnoscant, & nostra vota percipiant. Tamen Caietanus in art. 5. quæst. 88. in 2.2. Thomæ. *Certa ratione nescimus, an Sancti nostra vota cognoscant quamuis pie hoc credamus.* At Catholici docent Sanctos in Christo quiescentes ab huius vitæ tempestatibus ereptos, singula, quæ in his terris fiunt, ignorare.

VII. Et Bellarminus quidem hanc quæstionem ita attingit leuiter: vt ne vnico quidem confirmet argumento. Quid igitur? Audite. Etsi dubitatio esse possit, quemadmodum cognoscant absentia, & quæ solo cordis affectu interdum proferuntur: tamen certum est eos cognoscere. Cum, vt ostendimus, præsint nobis, & rerum nostrarum curam gerant. Et certo melior est hæc consequentia: Sancti recte inuocantur, ergo sciunt quid petamus, quam illa, Non sciunt quid petamus: ergo non recte inuocantur. Nam antecedens primi argumenti habetur ex consensu totius Ecclesiæ: antecedens secundi non probatur vllo solido fundamento.

VIII. En disputā ii solertiam! ex pura puta principij petitione. Nos igitur contra, negamus probatum Sanctos defunctos nobis præesse, aut rerum nostrarum curam gerere In comparandis autem consequentiis, quā fœde sui est oblitus? Recte inuocantur, ergo sciunt, inquit, quid petamus. Imo negatur. Nam ipse Bellarminus docuit, etiamsi nesciunt, tamen recte inuocari: exemplo Regis, qui non legit supplicationes. Fœda contradictio. Deinde antecedens primi argumenti falsum est haberi ex consensu totius Ecclesiæ: secundi autem haberi ex Scripturis, postea probabimus.

IX. At reliqui Papistæ putarunt, non esse sibi, tam perfunctorie agendum: Costerus, Richeomus, Lindanus: quorum hæc sunt argumenta. Primum quidem ab Angelis. Angeli in cœlis cōsistentes norunt quid in mūdo agatur: ergo & Sancti. Probatur antecedens Lucæ 15. *Gaudent super vno peccatore pœnitentam agente, magis quam super nonaginta nouem iustis.* Probatur consequentia, quia Sancti sunt sicut Angeli Dei, Matthæi 12.

X. Sed negatur consequentia. Nam Angeli vt spiritus ministratores, versantur nobiscum in his terris: itaque tanquam præsentes, nostras possunt res habere cognitas. At non sic Sancti: quibus id munus non est commissum. Ratio autem consequentiæ fallit, a secundum quid ad simpliciter. Nam primo de sanctis agitur, quales futuri sunt post resurrectionem: quo tempore, ne Papistæ quidem ausint dicere eos interpellaturos pro aliis. Secundo dicuntur similes futuri Angelis, non vniuersaliter, sed, quo ad immortalitatem & nuptias. Non morientur, vt Angeli non ducent vxores, vt & Angeli. Itaque non valet consequentia. Nam alias sumendum esset per omnia similes fore. Quod falsum: & euincitur, quia non sunt ministratorij spiritus, vt Angeli.

XI. Secundum, Patres in limbis ante Christi aduentum nosse poterant quæ fiebant in terris: Ergo Sancti, qui nunc adstant Deo, maiorique gloria fruuntur; potiori ratione eadem non ignorabunt. Probatur antecedens, quia sciebat Abraham epulonem illum recepisse bona in vita: & Lazarum similiter mala. Item sciebat in terris haberi Mosen & Prophetas.

XII. Respondeo negari antecedens: Et sane Bulengerus contra Plessæum diserte pronunciat Patres in limbis, quia non fruerentur visione Dei, nesciisse statum suorum nepotum: nisi per particularem Dei reuelationē. Probatio autem nulla est. Quia narratio de Lazaro & diuite: vel parabola est; vel certe parabolice contexta, vt probauimus. Parabolica autem narratio nullam rem proponit, vt est, sed quasi ita esset.

XIII. Tertium Plerique in inferno non ignorant, quæ ad ipsorum maiorem damnationem à viuentibus fiunt: multo ergo magis cognoscent Sancti, quæ à viuentibus geruntur ad suam maiorem gloriam. Probatur Antecedens, quia diues epulo nouerat fratres ad sui imitationem perdite viuere.

XIV Respondeo, negari primo consequentiam. Ratio, quia nihil eorū quæ fiunt in terris, attinet ad maiorē minorēve sanctorum gloriam, quæ tota est in fruitione Dei. Deinde negatur Antecedens, & probatio nulla est: tum quia à parabola, vt ante: tum etiam, quia non proponitur diues scire quæ post se mortuum gerebantur: sed quæ viuente gesta erant: Nam Fratres suos viderat secum impie viuentes. Sic non dicam sane omnem sanctis memoriam ablatam, eorum quæ hic geri viderunt: Sed resciuisse iidē omnia, quę post eorū obitum acciderunt, id vero ne verisimile quidē.

XV, Quartum: Nonnulli viuentes absentia & futura, adeoque cordis occulta non ignorarunt: cur nō etiam beati? Probatur antecedens. Elisæus seruo suo Giezi, *Nonne cor meum in præsenti erat, quando descendit homo de curru suo in occursum tuum?* Post Regum c. 5. Item Samuel Sauli, prioris Samuelis c. 9. *Omnia quæ sunt in corde tuo dicam tibi: & de asinis patris tui quos perdidisti.* Petrus absens sciebat Ananiam & Sapphitam fraudasse de pretio agri, Act. 5: Paulus intuitus cor claudi mendici, cognouit eum fidē habere, vt saluus fieret Act. 14. Idem raptus in tertium cœlum audiuit arcana verba, posterioris ad Corinthios 12. Stephanus ex Synagoga non impeditus vel tabulatis, vel tecto, vel loci distantia, vidit cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, Act. 7, Denique Prophetæ futura & cognouerunt & prædixerunt.

XVI. Negatur consequentia. Nam, quæ viui sic cognouerunt, nulla suæ naturæ, aut status conditione cognouerunt, sed ex particulari, atque adeo extraordinaria reuelatione. Vnde vidémus eundem Elisæum, qui viderat absentē Giezi, fateri sibi reuelatā causam doloris mulieris ad eae accedentis. Et eundem Petrū, qui coniugum detexit hypocrisin, Simonis tamen nonnisi ex post facto (vt aiunt) deprehendisse At primo, si vera est Papistarum doctrina, sancti non ex particulari, aut extraordinaria reuelatione nostra negotia norunt; sed ex status sui conditione: itaque ordinarie. Non valet ergo consequentia in rebus dissimilibus. Deinde, si extraordinaria reuelatione sancti nostra scirent: tum non semper, non omnia scirent: at propterea non semper essent mediatores: itaque nulla certitudine eos inuocaremus.

XVII. Quintum ad cumulum pertinet fœlicitatis, qua fruuntur sancti, vt sciant tum quæ ad eorum gaudium faciunt, tum quæ ad eorum, quos amant vtilitatem Ergo cognoscunt tum preces, tum necessitates eorum à quibus inuocantur.

XVIII. Antecedens est falsum: tum etiam consequentia. Nam primo gaudium sanctorum nullum nobis Scriptura describit, præter fruitionem Dei, qui erit omnia in omnibus. Secundo preces ad sanctos directæ, quia sunt superstitiosæ (vt modestissime dicam) non possunt esse sanctis gratæ, aut iucundæ. Tertio necessitates viuentium non possunt conferre quicquam gaudio sanctorum.

XIX. Sextum: cognitio est basis beatitudinis. *Ergo sancti nihil ignorant eorum, quæ pertinent ad salutem fratrum.*

XX. Distinguo antecedens. Cognitio est basis beatitudinis: at non quælibet: sed tantum cognitio eius obiecti, vnde ea beatitudo oritur. Itaque recte concludas, Deum non ignorari à sanctis in cœlis: sed si latius producas, falli necesse erit.

XXI. Septimum ab authoritate Veterum doctorum. Augustinus de cura pro mortuis, c. 15. disputat quibus rationibus quæ hic geruntur, sancti in cœlis scire possint. Et de Ciuitate Dei libro 22. c. 29. *Si Propheta Elisæus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit Naaman Syrus, quem Propheta memoratus à lepræ deformitate mundauerat, quod seruus nequam Domino suo nō vidente, latenter se fecisse putauerat: quanto magis in illo corpore spirituali videbunt sancti omnia, non solum si oculos claudant, verum etiam vnde sint corpori absentes?* Quæ eadem verba recitantur ab Eucherio in libr. 4. Regum c. 19. Origenes contra Celsum lib. 8. *Sentiunt beati qui sunt digni fauore cœlestis numinis, qui ipsi non solum bene volunt, verum etiam dant operam, vt Deum ei seruire volentibus concilient, & vna nobiscum precantur* Gregorius Nyssenus oratione de Sancto Theodoro. *Quanquam tu vitam hanc transcendisti, humanas tamen molestias, & necessitates non ignoras; impetra nobis pacem.* Prosper Aquitanus de vita contemplatiua libro 1. c. 4. *Ibi sanctis exuberabit tanta lætitia, tanta cœlestium gratia gaudiorum, vt & remuneratori suo pro tantis munerib. gratias agant, & nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perceptione sustineant. Ibi itaque patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales: quia humanorum pectorum tanta ibi erit, & tam perfecta munditia, vt habeant vnde mundatori suo Deo gratias agant. Nec latebit tam perfecte beatos aliquid secretorū, qui quod est longe præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum.* Prudentius etiam sæpe sanctis cognitionem tribuit, rerum quæ hic aguntur: & in Hamartigenia disputat non obstare aut distantiam locorum, aut etiam terræ interpositionem, quominus quæ apud inferos geruntur animæ videant. Multi etiam colliguntur ex inferioribus seculis maxime latini. Gregorius magnus, Beda, Alcuinus, Haimo, Anselmus, Hugo Victorinus, Bernardus, Lombardus, Thomas Aquinas, & alij.

XXII Re-

XXII. Respondeo primo, hos posteriores esse nihili. Certum enim, ex quo inclinari cœpit sinceritas doctrinæ, & inualescere paulatim cultus mortuorum, nullum factum esse modum. Hinc fit, vt è primis seculis, ne vnum quidem pro se locum Papistę recitent. Ex prima sequẽtibus paucos: inde quo vlterior fit progressus, eo frequentiores testes habent. Itaq; paucorum erat hominum priuata coniectura, abiit demum in dogma publicum. Hac igitur temporum errorumq; cloaca neglecta, prioris æui testes examinemus. Prudentium poetam fuisse elegantiorem, quam prudẽtiorem Theologum agnoscimus. Et tamen in Hamartigenia nihil admodum habet, quod huc faciat. Tantum explicat, quare diues epulo dicatur vidisse Lazarum in sinu Abraham, eaque occasione longam texit disputationem de facultate animarum a corporibus separatarum. Itaque eius disputationis summa eo redit, vt eadem facultate præditæ sint animæ damnatorum & beatorum. Si igitur hinc Papistæ conficiant animas beatorum omnia nosse, idipsum erit etiam de damnatis asserendum, etsi (vt prius argumentabantur) beatitudinis basis est cognitio: videant, quæso quomodo damnatos beatitudine excludent, quibus omnium rerum cognitionem concedent.

XXIII. Augustinus de Ciuitate Dei, & Prosper & Eucherius inconsiderate citantur. Nam Augustinus non loquitur de animis a corpore separatis: sed deisdem cum in resurrectione corpora receperint, *Nunc iam* (inquit) *quid acturi sunt in corporibus immortalibus, atque spiritualibus sancti non adhuc eorum carne carnaliter, sed spiritualiter viuente quantum Dominus dignatur adiuuare videamus.* Itaque non potest hæc tractatio ad hanc controuersiam pertinere, vtrum sancti sciant ea quæ in his terris geruntur. Maxime cum inde Cura pro mortuis diserte pronunciet, eos illa non videre. Non videre, inquam: nam concedit quidem posse rescire vel relata, vel reuelata, sed negat videre. Hic autem concludit sanctos omnia videre quæ geruntur.

XXIV. Eucherii (si tamen is est autor) eandem oportet mentem esse: quandoquidem Augustini locum istum, etsi prolixiorem, ad verbum describat. Prosper etiam de Resurrectione agit, vt ipse capitis titulus indicat, *De resurrectione vel vita sanctorum*: tum hæc verba, *Deo suo in æternum & inuicem sibi fœliciter adhærebunt: receptis cum in corruptione atque immortalitate corporibus mancipatã patriæ cœlestis accipient.* Itaq; ne Prosperi quidem disputatio ad hanc nostram controuersiam pertinere potest. Deinde non disputat vtrum sancti in cœlo positi terrena hæc cognoscant: sed vtrum noscant in cœlis quæ fiunt, *Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales.* Ibi ergo: id est, sancti in cœlis existentes cognoscent sanctorum in cœlis existentium mentes. Quod à nostro sermone quam sit alienum quis non videt.

XXV. In libro de Cura pro mortuis, Augustinus, primo disputat mortuorum animas non sentire res viuentium: vt postea docebimus. Postea tamen c.15. *Fatendum est*, (inquit) *nescire quidem mortuos quid hic agatur: sed dum hic agitur: postea vero audire ab iis, qui hinc ad eos moriendo pergunt: non quidem omnia: sed quæ sinuntur indicare, qui sinuntur etiam ista meminisse: & quæ illos quibus hæc indicant, oportet audire.* Tum de Angelis deferentibus, ac de spiritu reuelante, subiicit quæ paulo post tradentur. Sed obseruemus primo nihil prorsus è scriptura, aut desumi aut probari: sed tantum tenues coniecturas proferri Augustini non satis sibi constantis. Secundo nihil certi affirmari, sed tantum posse fieri: quod certe miserum est fundamentum intercessionis sanctorum. Tertio, nõ omnia reuelari defunctis: sed tantum quædam. Atqui tanta est in Papatu inuocantium frequentia, tanta in orbe infirmitatum diuersitas, tamque infinita Veterum multitudo, vt qui non omnia scire sanctos concedat, nunquam satisfaciat huic quæstioni. Quarto negat Augustinus sanctos ea ipsa quæ sciunt nosse dum geruntur, sed tantum rescire post quam gesta sunt. Ergo, inquam, necessitatibus nostris non possunt subuenire: nisi forte apud Papistas etiam mortuis adhibentur Medici. Et preces certe non audiunt dum fiunt; atq; eo deuentum est, vt non precibus demurmuratis opus sit, sed iam tabellariis, atque internunciis, qui sancti significent nostra vota. Adeo ludicra sunt hæc somnia.

XXVI. Oratione de laudibus Theodori in operibus Gregorij Nysseni; εἰ καὶ ὑπερέβης τὸν βίον, ἀλλ' οἶδας τὰ πάθη καὶ τὰς χρείας τῆς ἀνθρωπότητος, *Etiam si superaris seculum & nosti affectus, & vsus necessitatesque humanæ conditionis.* Quæ vim habeat non video. Nam ea verba non significant Theodorum, aut videre aut rescire quid in terris agatur: sed tantum scire ex præterita experientia multas & molestias & necessitates hominibus in terris accidere: nimirum quia olim ipse, cum in viuis ageret, proprio experimento didicisset.

XXVII. Sed enim vereor, vt sit Gregorij Nysseni ea oratio, Suspicionis causæ. Prima, quia de picturis & imaginibus omnino sic loquitur, vt longo post æuo cæptum: itemq; de inuocatione & intercessione sanctorum. Cuiusmodi sermones non inuenias vsitatos Gregorij seculo. Secunda, quod de loco vbi ageret Theodorus post mortem, pueriliter nugatur, *Vbicumq; tandem fueris: siue in sublimi æthere habitas: siue per cœlestem aliquem circulum versaris, aut in Choros Angelorũ cooptatus Domino assistis, aut cum virtutibus aut potestatibus, vt seruus fidelis adorationis officio fungeris.* Quæ certe grauem Theologum non redolent, mitto quod eum cupit ab iis officiis, quibus scilicet occupatus erat, vacationem postulare, vt veniret: quod si non est ridiculum: omnino non video quid sit esse ridiculum. Quid quod addit, *Si maiori opus fuerit aduocatione, & deprecatione, fratrum tuorum martyrum coge chorum: & cum omnibus vna deprecare multorum iustorum preces, multitudinum, ac populorum peccata luant: admone Petrum: excita Paulum: Ioannem Item Theologum ac discipulum dilectum, vt pro Ecclesiis, quas constituerunt, solliciti sint.* Hæc Theologica? Hæc Christiana? hæc sana sunt? vt Paulus, Petrus, Ioannes excitari debuerint à Theodoro? vt Sanctorum preces luant peccata populorũ? Nunquã credet Catholicus. Viderint etiam viri prudentes, an tempora consonent, αἴτησον εἰρήνην, ἵνα αἱ πανηγύρεις αὗται μὴ λήξωσιν, ἵνα μὴ κωμάσῃ κατὰ ναῶν ἢ θυσιαστηρίων λυσσῶν καὶ ἀλιτήριος βάρβαρος, ἵνα μὴ πατήσῃ τὰ ἅγια βέβηλος, *Pete pacem, vt hi publici conuentus non desinant: ne debacchetur atque grassetur aduersus templa altariave rabiosus & sceleratus barbarus ne cõculcet sancta profanus & impius.* Ex quibus constat fuisse tum magnos motus bellorum, & impendisse orientalibus Ecclesiis periculum à barbaris ethnicis. Quod ego tamen nullum obseruare potui in vniuersa eius temporis historia. Nam Gothi sub Valentiniano Thraciam solam infestarunt, victi à Theodosio Germani Gallis minitabundi vno prælio cæsi sunt à Gratiano. Maximus Barbarus non fuit, & ad Orientem non peruenit in Italia victus & cæsus.

XXVIII. Superest Origenes autor non purus: adeo vt vix vnquam nominari possit in rebus fidei absq; præfatione. Et hoc loco tamen nihil est quod vrgeat. Nam quid obstat, quominus beatos pro Angelis accipiamus? Non erat enim Origeni negotiũ cum Celso, nisi de dæmonibus, quibus perpetuo Angeli opponuntur: de Sanctorũ animis toto libro ne sylla ba quidem. At Angelos quæ hic gerũtur nosse, nemo nostrum negat. Nec tamen consequentia valet ab Angelis ad eas animas: vt alias obseruatum.

Cap. VIII.

Non sciri à defunctis, quæ hic gerantur.

I. Sed Catholici primum obseruant nullo Scripturæ testimonio constare ab animis mortuorum quicquam resciri eorum, quæ in his terris geruntur. A nobis autem nesciri, quæ facultates eorum qui à nobis per mortem sunt separati; nisi per diuinam reuelationem, certius est quam vt admoueri debeant Christiani. Vnde euincitur hac de re saltem nihil sciri posse quod sit certum, & in quo possint fidelium conscientiæ acquiescere. Cum tamen esse mortuos nostros apud Deum mediatores, certo certius omnibus persuasum velint Papistæ: & pro hæreticis haberi, qui cõtra aut sentiunt, aut docent. Quo quid stultius? Aut quomodo potest, exempli gratia, Bellarminus sibi certo persuadere, Augustinum sibi futurum intercessorem, si sit incertus vtrum sciat Augustinus, vnum aliquem omnino in mundo Bellarminum esse? Nugæ.

II. Secundo inclinare Scripturam in alteram partem Ecclesiast. c.9. *Viuentes nouerunt se esse morituros: mortui vero nihil nouerunt: neque eis pars vlla in seculo, aut in iis quæ fiunt sub Sole.* Disertum. Nam quod Porsanus distinguit cognitionem naturalem, a supernaturali, ineptum est. Quam enim naturam appellat? An istam atque huius seculi? Mirum scilicet eos qui è seculo discessere, iam supernaturaliter agere? Et magna illa est profundissimaq; sapientia, quæ id doceat. Quasi vllus vnquam vel cogitare contra potuerit. Quid igitur? Appellemus ne naturam, statum eius vitæ, qua fruuntur beati post mortẽ? Atqui vnde hauserunt, aliquid adhuc expectandũ homini superius ea natura, atq; altius? Absurdum Sensus est loci longe facilior: defunctorum hunc statum esse, ac, si velis, hanc naturam, vt earum rerum quæ geruntur in hoc seculo hacve vita, norint nihil.

III. Tertio defunctos viuentium corda non scrutari. Quod tamen in hoc negotio omnino summum est, vt in omnes partes necessarium. Cum, si fingendi sint sancti intercessores apud Deum, tantum fidelium piorumque nngendi sint. Nam quæ absurditas, vt mollissime dicam, si æque Petrus apud Deum intercedat pro hypocrita & viro pio? At hæc discretio fieri nullo modo potest, nisi ipsum cor sit cognitum. Esse vero has partes vnius Dei testes sunt hi loci. Primo Regum ca.8. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum* Hiere.17 *Prauum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscit illud? Ego Dominus, scrutans cor & probans renes.* Inde apud veteres probandæ Christi Deitati certa demonstratio. *Quod si* (inquit Nouatianus de Trinitate, c.13.) *cum nullius sit nisi Dei cordis nosse secreta, Christus secreta conspicit cordis: merito Deus est Christus.* Cyrillus in Ioannem lib.2.c.37. *Vere Deo soli nmodo, nec vlli creaturarum, hæc dignitas attribuitur: vnde Psalmista quoque dicit, Qui finxit sigillatim corda eorum: qui omnia opera eorum intelligit. Si ergo solus Deus quæ sunt in cordibus nostris intelligit, quomodo non erit verus Deus saluator, qui profunda & abdita cordium nouit?* Cur non igitur nos contra: Sancti non sunt dij: ergo non norunt secreta cordis humani? Quod si non ista: ergo non omnia norunt quæ geruntur in terris: & quidem ea minime omnium, quorum maxime interest mediatorem habere exploratam certamque notitiam.

IV. Denique defunctis nullus modus assignari potest, quo rescire queant quæ hic gerantur. Nam si resciunt, vel à se, vel aliunde. Atqui neutro modo: ergo non resciunt. Hic vero hæret Papistis aqua, suæ incertitudinis abunde consciis. Nos pergimus, & vtrumque membrum demonstramus.

V. Non à se: Primo post. Regum 22. Iosiæ Regi promittit Dominus, *Colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad sepulcrum tuum in pace, vt nõ videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.* Deinde, si à se: ergo vel procul vident: atque audiunt, vel præsentes intersunt nostris negotiis. At neutrum. Primo enim quis reuelauit? Deinde, si procul, ergo infinita sunt virtute. Multo minus præsentes sunt: nam oporteret eos vbiq; esse; ac proinde non iam facultate, sed substantia infinitos.

VI. Iam vero si aliunde: vel à Deo reuelante: vel a nunciantibus Angelis, vel a morientibus. At non à Deo, quia ridiculum esset, vt supra dictũ, sanctis reuelari à Deo preces nostras: quas illis fundimus vt intercedant pro nobis: circulatione absurda. Nam sic constitueretur Deus intercessor noster apud sanctos, qui tamen finguntur nostri intercessores apud Deum. Non etiã ab Angelis: tum quia nõ omnia norunt ipsi Angeli: saltẽ non occulta cordium: tum quia absurdum sit, Angelos constitui nostros mediatores apud sanctos. Nõ deniq; à mortuis: tum quia ne ipsi quidem omnia sciunt; tum quia non moritur aliquis cui nostra sint cognita, quoties orandi essent sancti. Adde quod ex Papistarum dogmate, aut nulli, aut certe paucissimi morientes recta ad sanctos eunt, cum prius diuertendum sit ad Purgatorium, vnde vix post multorum annorum numerum euolent in cœlum: vnde fieret vt qui, exempli gratia, postulat a Maria Virgine liberari à præsente tempestate, etiamsi habeat præsentem aliquam animam exhalantem; tamen expectare debeat annos, forte quinquagies millies, dum plene purgatus euolandi veniam obtineat.

VII. Et tamen hæc absurda nihil veriti Papistæ, audent garrire: & suadent tum à se, tum aliunde, siue à Deo, siue ab angelis, siue à mo-

rientibus, posse defunctos res nostras cognoscere. Nec tamen satis inter eos cõuenit. Nam Bellar. neq; præsentiã sanctorũ, neq; Dei reuelationẽ neq; relationem angelorum valde probat. Non præsentiam: quod ei celeritas nulla sufficiat; sed vbiquitas sit necessaria: sic non relationem, quia dici non posset ita audacter omnibus sanctis, Orate pro nobis: sed aliquando petendum à Deo, vt eis preces reuelaret. Non relationem: quia angeli nequeant nosse preces, quas sola cogitatione fundimus. Quid igitur? Nimirum in quarto malunt acquiescere, fingentes sanctos videre cum Deo omnia à principio suæ beatitudinis, quæ ad ipsos aliquo modo pertinent. Et tamen vide inconstantiam? Hunc ipsum Bellarminus negat idoneum ad conuincendos hæreticos, & præfert reuelationem. Ita nesciunt cœci quo se vertant. Nos autem obseruamus id illis hic accidere, quod in omnibus humanis inuentionibus necesse est, quæ quoniam nihil habeant solidius somniis incertis, non possunt non mira anxietate suos amatores vexare: vt nihil sit consultius, quam iis semel nuncio remisso, nolle sapere præter Verbum Dei.

VIII. Sed in hoc tamẽ quarto modo audiamus miseram Sophisticem. Videbunt ergo in Deo defuncti: sed quomodo? Quemadmodum nos in speculo, ea quæ post tergum, vel etiam oculos, frontem faciemque nostram. Mira oracula. Sed vnde habent? Audiamus Costerum. Dominus Moysi exhibiturus essentiam suam contemplandam: *Ego*, inquit, *ostendam tibi omne bonum*. Exod. 33. id est, quicquid aliquo modo nomen & rationem boni habere potest, id omne in mea essentia, quam es visurus, ostendam tibi. Et rursus Ioannes, *Quod factum est in ipso vita erat*. Ioan. 1. id est, creatura omnis in Deo est, non quidem vt in se mortua, sine sensu, materialis, corporea, imperfecta, sed vita, id est, immaterialis, perfectissima. Ideoque Gregorius, *Quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum, quia foris sit aliquid quod ignorent. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt?* lib. 12. Moral. c. 13. & Dialogorum lib. 4. c. 33.

IX. Atqui prioris loci versio corrupta, *Ego transire faciam omnem bonitatem meam coram te*. Non igitur, vt Costerus, quicquid aliquomodo nomen & rationem boni habere potest. Porro Chaldæus Paraphrastes bonum illud, interpretatur gloriam Dei, quam videre Moses postulabat. Non igitur omnem creaturarum bonitatem: non quicquid creatum est: non denique quicquid ab hominibus vel cogitatur. Næ hic huius loci nullus sensus est: sed merum est febricitantis monachi somnium. Et res ipsa euincit. Nam si qui vident omne bonum Dei, omnia sciunt, Ergo Moses etiam viuens omnia sciuisset: at posterius falsum: ergo prius. Nam scisse Mosem omnia in terris positum, ausint ne aduersarii contendere?

X. In altero loco longe maior audacia. Nam primo eius varia lectio est. Græci omnes, paucis exceptis, legunt, *Omnia per hunc facta sunt, & absque eo factum est nihil quod factum sit.* Vt sensus sit, eorum quæ in vniuerso mundo creata sunt, nihil esse creatum sine Filio Dei Verbo. Tum altera inchoata sententia. *In ipso vita erat.* Sic Chrysostomus homil. 4. in Ioannem. Sic Theophylactus in eum locum. Syrus Interpres. Athanasius de Incarnatione Verbi. Et contra Arianos orat. 4. & contra omnes hæreses: & in Synopsi. Irenæus lib. 4. c. 11. Nazianzenus de Spiritu S. Epiphanius de Ariomanitis, & Anoetis. Marcus Heremita de Baptismo. Ex Latinis etiam Cyprianus Testimoniorum lib. 2. quamuis Pamelius aliter ediderit. Hieronymus in cap. 6. Amos. Nec inconcinna lectio. Nam cum statim subiiciatur, *Et vita erat lux illa hominum*; quis non videt, non posse referri ad eas, quas in Deo ab æterno esse dicunt? Itaq; hanc lectionem Caietanus, Lucas Brugensis, Iansenius, Maldonatus, longe præferunt aliis, vtpote coactis. Quamuis Sixtus neutri parti voluerit præiudicare, ita consulto interpungens, vt vtrouis modo legi queant: vt monuit Brugensis in annotationibus ad Sixti Biblia.

XI. Secundo, etiamsi à Græcis discedas, tamen altera superest lectio: Quod factum est in ipso *vita erat*: vt dicatur non in ipso vita erat, quod omnino postulat Costeri commentum; sed quod in ipso factum est, esse vitam. Et sic Ambrosius in Psalmum 36.

XII. Denique, etsi ita concedatur legendum, tamen restat consequentia. Nam quis concedat, quia omnia in Deo sunt ab æterno, ideo videri omnia ab iis qui Deum vident? Nam ne ipsi quidem Papistæ audent asserere. Bellarminus certe ea tantum, quæ ad ipsos aliquo modo pertinent. Atqui non hæc sola in Deo erunt. Ergo nonnihil præter Dei visionem comminiscendum. Nam si in Deo sunt omnia; & qui Deum vident, quæ in Deo sunt, vident; necesse esset eos omnia videre. Quod si conclusio falsa; certe in antecedente necesse est peccari. Et quia supponitur omnia esse in Deo: Iam illud alterum falsum erit, eos, qui Deum vident, videre quæ in Deo sunt.

FINIS LIBRI OCTAVI.

LIBER NONVS,

DE OECVMENICO.

Caput I.

DE IMMENSA AVTORITATE OECVMENICI PONTIFICIS.

PERTRACTATA Controuersia prima de officio Mediatoris, quæ erat in intercessione: sequitur altera, in Regio munere, cuius Thesis hæc esto, Vtrum solus Christus sit rex, siue Monarcha, siue caput Vniuersalis Ecclesiæ. Quam Catholici constanter asserunt. Papistæ oppugnant pertinacissimè, Romani Pontificis partibus fauentes. Vnde magna, interque primas nobilis disputatio oritur, non obiter tractanda: imo vero necessario: nec aut nullo, aut leui momento in vtramuis partem concludenda. Non enim, quicumque in Papisticis Controuersiis tempus terunt, hanc, quam Episcopo Romano sui vendicant autoritatem, summam esse omnium, quæ à nobis oppugnantur, hæreseon, tutelam: cum ex eius nutu, plerumq; imperiti hominis, atque etiam non raro scelerati, omnes pendere velint Theologicas disputationes: vt id sit Catholicum, cui dignatus fuerit annuere: id contra hæreticum, quod quæcumque tandem de causa improbarit. Nec dissimulat Bellarminus, dum præfatur in hanc disputationem, agi de summa rei Christianæ: quærique, debeat ne Ecclesia diutius subsistere, an vero dissolui, & concidere; quemadmodum si quæratur, an oporteat ab ædificio fundamentum remouere, à grege pastorem, ab exercitu Imperatorem, solem ab astris, caput à corpore; nihil sit aliud quàm quærere, an oporteat ædificium ruere, gregem dissipari, exercitum fundi, sydera obscurari, corpus iacere. Quæ quidem ille sic dixit ex præiudicio eius opinionis, qua fascinatus, nullam aliam credit rem esse Christianam, quam Papisticam: quomodo solent iampridem intolerando abusu Ecclesiam Catholicam dicere & Romanam eodem sensu. Vt sint ea Iesuitæ verba non aliter accipienda quam si diserte diceret, non posse aduersum Catholicos diutius subsistere totum illud Romanæ ἐθελοθρησκείας chaos, si semel redigatur in ordinem ille vnius vrbis Episcopus.

II. Qui quam sibi, quantamque autoritatem vendicet, etsi ex ipso facto, id est, quotidiano experimento percipere sit facilius, his maxime temporibus, quæ nihil ferme vident ab huiusmodi tyranno non attentatum: tamen visum est hoc initio indicandum: vt cum constiterit, quam immensum tyrannidis chaos hoc vno Oecumenici Pontificis nomine colatur, mirari desinant sanæ mentis homines tanto feruore hanc causam iam ab aliquot annis actam esse à piis viris, quos Deus excitauit ad opus suum perficiendum: id est, Ecclesiam in libertatem asserendam.

III. Volunt igitur hunc suum summum Pontificem Papistæ, vnum aliquem esse in terris hominem Vicarium Christi (sic enim appellant) qui sic vice Christi in Ecclesia fungatur, vt caput etiam ipse dicatur totius militantis Ecclesiæ: quod etsi fateantur non æquo aut iure, aut gradu cum ipso Christo, quem solum sciunt hoc nomine appellari in Scripturis, tamen sic amplificant postea, vt facile appareat, dicis tantum causa Christum præferri.

IV. Primum enim hunc homuncionem, sic summum faciunt, vt nulli prorsus potestati, quæcunq; illa tandem sit, Ciuilis aut Ecclesiastica, obnoxium esse velint, ne tum quidem quum officio minime fungitur. *Si* Papa (hæc verba sunt apud Gratianum distinct. 40) *sua & fraterna salute negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnib. nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos, huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quod cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius.* Et rursus causa 9. quæst. 3. *Nemo iudicabit primam sedem iustitiam temperare desiderantem: neq; enim ab Augusto, neq; ab omni clero, neque à regibus neque à populo iudex iudicabitur.* Ex quibus verbis concludit Glossator, tum à Concilio non posse Papam iudicari, tum Pontificis sententiæ standum esse; quamuis totus mundus sententiaret in aliquo contra eum. Præterea ne accusari quidem posse de homicidio, aut adulterio diserte notat idem Glossator ad caput *Non nos*, distinct. 49. Et causa 9. quæst. 3. hic habetur Canon, *Aliorum hominum caussas Deus voluit per homines terminari: sed sedis istius præsulem suo, sine quæstione, reseruauit arbitrio. Voluit beati nimirum Petri Apostoli successores cœlo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini, inuiolatam habere conscientiam.*

V. Illud autem de Concilio, vno tantum verbo obiter significatum, fusius postea disputarunt multi: inter quos Ioannes Hieronymus Albanus, libro 1. de Potestate Concilij, asserit nullum casum reperiri, in quo vere dici possit Concilij potestatem Pontificia maiorem esse. Similiter Carranza in quarta Controuersia. Nullum esse criminis casum in quo Ecclesiæ vniuersalis Pastor iudicari aut deponi possit ab vllo Episcoporum Concilio. Nam etiam, quod de hæresi exceptum legitur in Canone, *Si Papa*, nunc noua stropha inutile efficitur, cum asseritur, non posse Papam hæreticum fieri. Adeo in peius quotidie proficitur.

VI. Se-